



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Liber III. De Fortitvdine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

LIBER TERTIVS.  
DE  
FORTITVDINE,  
TERTIA VIRTUTE  
CARDINALI.

**E**XPLICATA PRVDENTIA & IUSTITIA, sequitur  
FORTITVDO, quæ est tertia Virtus Cardinalis. Hæc posterior  
quidem est dignitate quàm Iustitia: quia Iustitia omnes vitæ nostræ  
actiones, quæ alium respiciunt, rectè componit; unde & latissimè  
patet, & sine ea nec pax humano generi, nec vlla societas aut Respub.  
constare potest, vitæque hominum, ea sublata, merum erit latroci-  
nium, qualis apud Cyclopes & Canibales: Fortitudo autem solùm in eo versatur,  
ut impedimenta quædam rectè operandi ex periculis & malis huius vitæ occurren-  
tia remoueat, ne propter illa ab honesto recedamus: prior tamen quàm Temperan-  
tia; quia difficilius est timorem mortis & verberum vincere, quàm cupiditatem  
voluptatum refrænare. cuius signum est, teste Aristotele, quòd etiam immanes bel-  
luc à maximis voluptatibus metu verberum abstineant. deinde quia functiones For-  
titudinis magis ad bonum commune, defensionem patriæ, & Iustitiæ pertinent,  
quàm Temperantiæ.

Constabit autem hic liber duobus capitibus. Prius erit de Fortitudine secundùm se,  
eius functionibus, & vitiis ei aduersantibus. Alterum de virtutibus Fortitudini  
affinibus, & vitiis ipsædem oppositis.

CAPVT PRIMVM.

De Fortitudine secundùm se, & eius functionibus:

Habet 6. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid fortitudo, & qua illius officia.

D. Thomas quest. 123.

**I**  
Fortitudo  
duplíciter  
accipitur.  
1. Acceptio.

**N**OTANDVM, hõc nomen duplíciter  
accipi, vt docet D. Thom. art. 2.  
Primò, Pro firmitate animi in  
bono honesto. hoc modo vel est  
virtus generalis, nimirum obiecto  
& extensione materiæ, quamuis  
specialis essentia & habitu; sicut amor honesti in

genere. vt enim possum habere firmum propo-  
situm sequendi in omni negotio bonum honestum,  
quod recta ratio dictabit; ita etiam perstandi in eo  
firmè, nec sinendi ab eo vllis incõmodis me auel-  
li: quod propositu habitu permanens, videtur esse  
virtus quædam. Hoc modo accipit Ambros. lib. 1.  
de Officiis cap. 36. cum ait: *In duobus generibus for-  
titudo*

titudo spectatur animi. Primo, Vt externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quam experienda ducat. Secundo, Vt ea quae summa sunt, omnesque res in quibus honestas & illud *ἀρετῆς* cernitur, praeclara animi intentione usque ad effectum persequatur. Itaque fortitudo, iuxta Ambrosium, complectitur contemptum diuitiarum, honorum, & voluptatum, & firmum propositum inhaerendi bono honesto, sic vt nullis malis te finas ab eo diuelli; vt idem fufius prosequitur.

2 Vel eerte est conditio omnis virtutis: nam omnis virtus facit nos firmiter inhaerere suo obiecto; si tamen perfecta sit qui enim perfecte temperans est, ita amat bonum temperantiae in opere suo, vt nullis malis impelli possit ad illud violandum.

Dixi, Si perfecta sit, seu in gradu heroico; quia etsi omnis virtus, qua habitus, aliquam firmitatem tribuat, iuxta Aristotelem; haec tamen facile expugnabitur, nisi alia perfectio accedat, qua bonum suum omnibus commodis & incommodis anteponat, idque firmo & inexpugnabili proposito; quod cum peruenerit, dicitur esse in gradu heroico.

3 Secundo, Pro firmitate animi in sustinendis & repellendis iis, in quibus difficillimum est animum regere, & statum rationis retinere; vt sunt pericula mortis. Vbi enim est peculiaris difficultas in retinendo rationis praescripto, (quod rationis bonum dicitur) ibi necesse est nos peculiari virtute dirigi & iuari: atqui in periculis mortis est peculiaris difficultas vt quis decore & ex rationis norma interius & exterius se gerat: in his enim vel excitatur ingens timor ad mali fugam, quem difficillimum est ita coeercere vt non perturbet, & ad aliquid indecori compellat; vel excitatur motus audaciae, ad mali repulsum; qui etiam moderandus est, ne temere in periculum praecipitet: vel utraque affectio, alternantibus animi motibus, & veluti inter se confligentibus (quod sepius fit) exoritur; & tunc utramque simul ad rationis praescriptum temperare oportet. Itaque opus est peculiari virtute, quae has difficultates superet, & motus illos secundum rationis regulam moderetur, hanc vocamus *Fortitudinem*, ex analogia ad robur corporis. sicut enim magno robore corporis opus est, vt immotus sustineas vel etiam repellas id quod corpus tuum valide impellit; ita magno animi robore opus est vt pericula mortis, quae animum mediante apprehensione vehementer concutiunt, sustineas, aut repellas, immotus in honesto permanens.

4 Dices, Virtutes singulae ad hoc in sua materia sufficiunt, praesertim in gradu heroico: ergo haec non est necessaria.

Resp. Respondeo Primo, Negando consequentiam; quia pauci eas habent in illo gradu: itaque saltem ceteris est necessaria. Deinde aliae virtutes non moderantur timores & audaciam, quia id per se bonum & congruum homini; sed quia necessarium ad finem ipsarum; vnde potius dicuntur id facere imperando quam eliciendo: ergo debet esse aliqua virtus, quae id faciat ex affectu illius per se boni, & eliciendo.

5 Vt autem penitus intelligatur quod sit officium huius virtutis,

Notandum Primo, Quod sicut *Iniustitia* versatur circa actiones quae alium respiciunt, modum & mensuram rationis, quam in se habet, illis imponendo, vt congruant habitui, & deceant virum iustum; ita *Fortitudo* immediate versatur circa

passionem timoris & audaciae in periculis mortis, debitam rationis mensuram sibi insitam illis imprimendo, vt respondeant fortitudinis virtuti, & deceant virum fortem. Omnis enim virtutis habitualis finis est, imprimere similitudinem sui in actionem vel passionem animi, tamquam in propriam & proximam materiam, vt colligitur ex opus. *Modus rationis quemodo descendat in opus.* diuo Thoma q. 113; art. 7. modus enim rationis primò & essentialiter existit in virtute prudentiae, & ab habitu transit in actum prudentiae. Ab actu autem prudentiae transit & veluti imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin vt a voluntate procedens, erat indifferens, capax illius & contrarij. Ab actu voluntatis interno transit in habitum, qui per actum in voluntate generatur. habitus vero genius hanc rectitudinem intendit immediate imprimere vel actioni externae, si circa eam immediate versetur, vt in Iustitia; vel passioni, si haec eius proxima sit materia: mediata tamen est actio externae; nam huius moderatio est finis principalis virtutis illius.

Vnde patet Primo, Quo modo bonum prudentiae, & rectitudo quae est in prudentia veluti in regula, descendat in vim appetitiuam, & ibi habeat rationem virtutis; & a vi appetitiua in actiones & passiones.

Patet Secundo, Actiones externas & passiones animi internas ad virtutem se habere in materia; sicut lignum & aes ad artem statuariam: sicut enim statuaria intendit aeri vel ligno sui quaedam similitudinem imprimere; ita virtus moralis actionibus externis & affectionibus animi intendit sui speciem iuxta materiae capacitatem inferere. Rursus, sicut proprium opus artis statuariae non est lignum vel aes, sed forma statuae impressa illi materiae, & ipsum compositum ex forma & materia; (quod etiam est proprium obiectum & proprius finis illius artis) ita proprium opus fortitudinis non est timere absolute, vel audere, vel aggredi periculum; sed quando timendum vel audiendum est, ponere in his rectitudinem rationis; & consequenter opus eius est compositum ex passione & illa rectitudine, quod est timere & audere moderate, sicut fortem decet. Insinuat haec Aristoteles 3. Ethicorum cap. 7. cum ait: *consentaneus enim habitus*, (Graece *ἁρμόνιος*, non *ἁρμόνιος*, vt Lambinus & alij quidam Interpretes non recte legunt) & vt ratio praescribit, pariter & agit fortis: finis autem operationis omnis est congruere habitui, &c.

Porro sicut moderatur *timorem* & *audaciam* antequam malum euenierit, vel quando superari potest; ita postquam euenit, & superari nequit, moderatur passionem *tristitia*, ne quis nimium se affligat, aut aliquid indecori ex merore agat.

Patet Tertio, Proximam fortitudinis materiam esse *timorem*, *audaciam* & *tristitiam* in periculis mortis; his enim moderationem & rationis mensuram imprimere ante omnia conatur. Remotionem, *externam actionem* & *compositionem*, vt fugam, permutationem, aggressionem, totumque corporis motum & gestum: nam conatur haec omnia moderari, vt consentaneè viro fori fiant. non enim si iam aggressionem fortitudo temperat, sed etiam fugam, quando ratio fugiendum esse dicit, & totam externam constitutionem. Remouissimam, *ipsa pericula*.

Notandum Secundo, Haec pericula debere esse talia,

Officium  
& functio  
fortitudinis.

Modus  
rationis  
quemodo  
descendat  
in opus.

6

Passiones  
internae se  
habent in  
sua mate-  
ria circa  
quam.

7  
Etiam tri-  
stitia mo-  
deratur.

8

Pericula sine honestate.

talia vt honeste suscipi vel sustineri possint; vt sunt ea quæ pro salute Reipub. vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defensione suscipiuntur. vnde Aristoteles lib. 3. cap. 7. ait, *Qui ea quæ oportet, & cuius causa oportet, & vt oportet; & quando, perfert & timet, similiter & confidit, fortis est.* ratio est; nam materia virtutis non potest esse inhonesta; alioquin rationi virtutis repugnet, & eius capax non esset. sicut materia, quæ repugnat figuræ rationi, non est capax figuræ statuæ. Vnde latrones, grassatores, duella ineuntes, & iniqua bella gerentes, non sunt dicendi fortes, sed temerarij, teroces, crudeles: quia eorum audacia & aggressio est iniqua, plenaque temeritatis vel belluinæ immanitatis; ac proinde incapax honesti & decori fortitudinis. Vnde talis actus erit temeritatis & prolectæ audaciæ, non fortitudinis. Quare vt affectus interni vel actus externi sint materia fortitudinis, requiritur vt per se tales sint, vt accedente moderatione fortitudinis sint absolute honesti, & rationi consentanei.

9 Potissimum in periculis bellicis erit.

Notandum Tertio, Fortitudinem potissimum spectari in periculis bellicis, vt docet Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 6. hæc enim honestissima & maxima censetur, & humanam conditionem non superant. Huc pertinent non solum illa communia, quæ ad patriæ defensionem suscipiuntur in bello publico; sed etiam priuata, quæ ab iniquis hominibus, priuata impugnatione, propter iustitiam inferuntur, vt rectè D. Thomas art. 5. Secundario spectatur in aliis periculis siue mortis, siue aliorum malorum, & grauium calamitatum: qui enim benè ad illa bellica comparatus est, etiam alia, præsertim minora, facillè sustinebit. Itaque se ad omnia grauiæ & honesta, siue pericula, siue mala, vt mortis, mutilationis, flagellorum, exilij, morborum, vinculorum, sustinenda extendit. quamuis ex eo quod quis in periculo minoris mali confidenter agat, non sit absolute fortis dicendus; vt si quis flagellis caendus confidat, vt ait Aristoteles supra cap. 6. quia virtus ex perfectioribus actibus suis metienda est.

Quibus considerationibus excitetur fortitudo.

10 Notandum Quarto, Hanc moderationem fieri imperio virtutis fortitudinis, mediante consideratione rationis & imaginatione phantasiæ: non enim aliter appetitus interior à superiore moueri potest, vt ostensum est 1. 2. quæst. 17. art. 7. Considerandum igitur est, Primo, Mortem non esse tantum malum, quantum vulgò putatur, vt quæ tot malis hominem liberet, & maxima bona, si rectè obita fuerit, conciliet. Secundo, Melius esse gloriose mori, quam ignominiose viuere. Tertio, Proponenda exempla Sanctorum & Domini nostri, &c. talibus enim cogitationibus minuitur timor, excitatur fiducia; audacia, si nimia sit, comprimitur consideratione periculi, & quod vita non sit sine causa proicienda.

11 Quid fortitudo.

Ex dictis perspicuum est quid sit fortitudo: est enim virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis sustinendis vel repellendis, moderatur. D. Augustinus lib. 83. qq. qu. 5. ex Cicero illam definit *consideratam periculorum susceptionem, & laborum perperationem.* vbi per *consideratam* intelligit *prudenciam, congruam viro forti, & eo nomine amatam.* Si enim suscipias periculum amore patriæ, erit actus iustitiæ legalis, vel pietatis: si amore rectæ fidei, erit confessio fidei: si amore commodi, vel honoris, non erit opus

virtutis, sed amoris sui commodi: si ex audacia & timoris vacuitate, erit temeritatis. Itaque vt sit formaliter opus fortitudinis, debes adire periculum amore boni fortitudinis, quod in illo opere obiectiue relucet, nimirum vt illud effectiue in eo ponas; quod bonum situm est in congruentia illius operis cum statu & conditione virtutis fortis, quæ fortis, id est, cum virtute vnde dicitur fortis. Passim tamen in Scripturis & Patribus non tam strictè hoc nomen vsurpatur: sed fortes dicuntur, qui ex quauis causa honesta opus fortitudinis præstant, vt infra dicitur.

DUBITATIO II.

Vtrum martyrium sit opus fortitudinis.

D. Thom. quæst. 124. art. 2.

Martyrium in genere idem est quod testimonium. Verum hoc loco & passim apud Scriptores Ecclesiasticos accipitur pro testimonio veritatis fidei vel alicuius virtutis per mortis toleranciam; nimirum cum quis pro veritate fidei, vel opere virtutis mortem subit. Hoc autem dupliciter fieri potest. Primo, Cum aliquo actu, quo mors ipsa propter illum finem acceptetur, quo modo agitur in adultis ratione vtentibus. & hoc est martyrium perfectum & formale; quia sequitur ex intentione testificandi. Secundo, Absque villo actu, sicut in paruulis propter Christum occisis; quos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia, vt ait D. August. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23. & Origenes hom. 3. in variis Euang. locos, vbi etiam dicit eos esse *primos martyres pro Domino occisos*; & *primitias martyrum.* sed hoc erat solum *martyrium materiale*, nam intelligentia rei testificandæ & voluntas aberat. quia tamen illa mors propter Christum inferebatur & tolerabatur, testimonium, quod nondum poterant sermone perhibebant passione, & sufficit causa testimonio, licet non eloquio distingatur, vt pulchrè ait Auctor Sermonis De stella & magis apud Cyprianum. Idem significat Ecclesia in Collecta, *Deus, cuius præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, &c. vnde Deus acceptat illam mortem inftar formalis martyrij; nimirum vt sicut voluntas & peccatum Adami illis obfuit, vt nascendo ex ipso contraherent peccatum; ita voluntas & meritum Christi illis prodesset, vt renascendo per ipsum consequerentur iustitiam.

Dupliciter subitum martyrij.

Martyrij paruiorū.

Christi meritum supplet in illis defectum voluntatis propria.

Supplet igitur Christi meritum defectum propriæ voluntatis; quia dum pro ipso patiuntur, singulari modo ipsi conformantur, & ad ipsum tantam membra ad caput pertinent; & ita voluntas Christi, qui est caput, ipsis veluti membris tribuitur, cum ipsi aliam habere nequeant.

Verum hac specie martyrij omnia, (cum constet non esse opus virtutis in paruulis) quæstio est de martyrio adultorum, de quo Martinus apud Caietanum art. 2. contendit non esse opus fortitudinis, sed virtutis, quæ impugnatur, in gradu heroico constituta. quod sic probari potest. Nam quælibet virtus in eo gradu est sufficiens vt amore sui honesti mortem contemnat: in eo enim gradus heroicus virtutis magna ex parte consistit, quod voluntatem ita firmè honesto faciat inhærere, vt illud vitæ anteponat. Itaque cum quis solo

13 Martyrij esse opus virtutis, quæ oppugnatur à tyranno.

amore Dei eligit mortis tolerantiam, erit actus charitatis; cum amore fidei, erit actus fidei; cum amore castitatis, erit actus temperantiae.

Confirmatur Primo, Quia eiusdem virtutis est amare finem, & medium ad finem necessarium: atqui amare castitatem est virtutis temperantiae; ergo & amare mortem, eamque subire, quando hæc ad castitatem conservandam est necessarium medium, est opus virtutis temperantiae.

Respon.  
Caietani.

Ad hoc respondet Caietanus, Maiorem non esse veram, quando medium & finis sunt diuersi generis: tunc enim amorem finis & medij non pertinere ad eandem virtutem. quare cum permissio mortis sit bonum alterius generis quam castitas; amorem illius, & amorem castitatis non esse virtutis unius, sed diuersarum. Sed hæc solutio solum probat, ipsam secundum se permissioem mortis, esse actum materiale alterius virtutis, & posse formaliter ab illa procedere, si fiat amore propriæ honestatis, non autem si fiat amore castitatis. Si enim illam permissioem solum consideres vt hic & nunc est medium seruandæ castitatis, eamque sic eligas, haud dubiè hæc electio est virtutis temperantiae, quia immediatè ex vi amoris castitatis procedit: & consequenter ipsa permissio externa sequens illam electionem, formaliter temperantiae opus erit intentio enim finis, electio medij, & executio ex vi electionis secuta ad eundem habitum pertinent; vt constat ex 1. 2. quaest. 12. art. 4. Nec refert virum medium per se sit eiusdem generis ac ipse finis an diuersi; quia non consideratur per se & secundum propriam honestatem; sed solum vt medium vtile ad finem, & propter illum expetendum.

14

Confirmatur Secundo, Si possum moderari timorem mortis, eamque velle sustinere affectu boni fortitudinis, quod satis obscurè se ostendit, cur non etiam affectu castitatis, religionis, & aliarum virtutum, quando euidens est id esse medium ad earum bonum tuendum necessarium: non enim minus efficaces sunt affectus boni illarum virtutum, quam boni fortitudinis; nec minus permissio mortis illo casu est necessaria ad bonum illarum, quam ad bonum huius.

Martyriū  
posse ex af-  
fectu va-  
riarum  
virtutum  
procedere.

Hæ rationes conuincunt, permissioem mortis posse procedere ab aliis virtutibus, absque formali actu specialis virtutis fortitudinis. non est tamen negandum, quin aliquando & plerumque ipsa virtus fortitudinis se immisceat, ita vt martyrium etiam ex proprio illius affectu procedat: quia raro virtutes cum gradum perfectionis habent, vt solæ ad hoc sufficiant; vnde aliarum adminiculo opus habent: & tunc idem actus externus à diuersis virtutibus internis ( prout in actu illo externò per se, vel in ordine ad diuersos fines, diuersæ rationes honesti possunt considerari ) procedit: quod vt intelligatur in re propolita,

15  
Tria in  
martyrio.

Notandum est, in martyrio tria considerari posse. Primum est, Irrogatio mortis, odio fidei vel virtutis. Secundum, Acceptatio. Tertium, Permissio. Primum non est opus virtutis, sed impietatis, & iniustitiae: semper enim est contra iustitiam, quia fit gratis iniuria proximo, dum sine causa occiditur. est etiam contra eam virtutem quæ impugnatur, & cuius odio supplicium infligitur.

Nec obstat quod aliquæ mulieres seipsas amore virtutis occiderint, quæ tamen vt martyres coluntur; de quibus Eusebius lib. 8. hist. c. 12. & 17.

& Ambrosius lib. 3. de virginibus, ante medium: quia etiam hæc à tyrannis occisæ censentur; cum ad hoc quodammodo ab illis compulsæ fuerint, stupri timore incusso; cui compulsioni meritò potuerunt cedere, seipsas interficiendo, Deo id illis suo instinctu permittebat. non enim minus testimonium perhibet virtuti, qui eius retinendæ causa, alio moliente auferre, seipsum occidit, si id ei licitum sit, quam si ab alio se patiat occidi. quod in primis locum habere potest in castitate, quæ & vi nobis inuitis eripi potest, (qua parte ad corpus pertinet) & in cuius ereptione est magnum discrimen salutis, ob voluptatem.

Secundum & tertium ad varias virtutes pertinere potest. si enim acceptatio & permissio mortis consideretur quatenus sit ad testandam fidei veritatem in seipsa, vel in opere virtutis elucens; (quo modo semper à martyribus mors acceptari & sustineri solet; hinc enim martyrium dicitur) sic est confessio fidei, procedens à virtute fidei. eiusdem enim virtutis est, aliquid interius credere, & exterius profiteri. Si spectetur vt sit ad placendum Deo, est actus charitatis: si vt præcepto diuino obedias, est obedientia: si vt sit conformitas inter signa externa & iudicium internum, est actus veritatis. Denique si fiat quia in tali rerum peristasi decet virum fortem acceptare & sustinere mortem, sic propriè procedit à virtute fortitudinis: hæc enim operatur ex affectu proprii boni, quod est similitudo seu conformitas cum habitu à quo fortis dicitur, vt supra ex Aristotele ostensum est. Similiter moderatio timoris & tristitia, quæ etiam necessaria est vt mors fortiter sustineatur, & cohibitio animi intra limites patientiæ, potest fieri affectu variæ virtutis: nec procedit à virtute fortitudinis, nisi fiat affectu proprii boni; nempe quia hoc per se honestum est, & congruum viro forti. In praxi autem, omnes supradictæ rationes & alia: similes considerandæ sunt, & mors propter omnes & singulas acceptanda & sustinenda, passioque timoris & tristitiæ moderanda. sicque formaliter hi actus ad varias virtutes pertinebunt.

Aduertendum tamen, siue hi actus (scilicet acceptatio & permissio mortis causâ fidei, itemque timoris & tristitiæ in illis malis moderatio) procedant ab effectu specialis virtutis fortitudinis, siue alterius virtutis; semper tamen secundum communem modum loquendi Patrum, esse dicendos actus fortitudinis; idque ob duas causas. Prior est, quia in his potissimum actibus robur & firmitas animi in bono elucet; vnde etiam sunt propria fortitudinis materia. Altera est, quia re ipsa procedunt ex summa animi in bono honesto firmitate: atque ea firmitas, qua quis ita alicui bono honesto inhæret, vt paratus sit pro eo retinendo mortem oppetere, passim à Patribus vocatur fortitudo, vt constat ex Ambrosio lib. 1. de Officiis cap. 36. Augustino lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 22. & 23. & aliis. nullus enim Patrum, fortitudinem ad eas angustias restringit, vt solum id, quod decet virum fortem, respiciat, eiusque solius intuitu operetur.

Ex quibus perspicuum est, martyrium verè & propriè esse actum fortitudinis, etiam si solius charitatis & fidei affectu subeatur; non simplicem & vulgarem, sed excellentissimum, quia in nobilissima fortitudinis materia; (vt etiam ex Aristotele

16

Acceptatio  
& permissio  
mortis ex  
affectu di-  
uersarum  
virtutum.

Item mo-  
deratio af-  
fectuum.

17

Cur semper  
dicantur  
actus for-  
titudinis.

18

Quo modo  
martyriū  
sit actus  
fortitudi-  
nis.

tele

tele lib. 3. Ethic. cap. 6. colligitur) nimirum in periculis bellicis, iisque pulcherrimis versatur. In martyrio enim est bellum contra tyrannum pro defensione fidei & religionis, (iuxta illud Apostoli ad Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello*, ut diuus Thomas interpretatur) quod non inuadendo, sed tolerando conficiendum est: at multo difficilius tolerare quam inuadere; ut docet Aristoteles supra; idque ob tres causas. Primò, Quia qui tolerat, veluti à fortiore inuaditur & opprimitur: qui inuadit, aggreditur tamquam fortior, difficilius autem est cum fortiore pugnare quam cum debiliore. Secundò, Qui tolerat, iam sentit malum præsens: qui inuadit, æstimat tamquam futurum. Tertio, Tolerantia diu durat: inuasio fit motu repentino: vnde Proverb. 16. *Malius est pariens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* & D. Amb. lib. 1. Offic. cap. 41. fuscè ostendit, fortitudinem plus in tolerando quam in vincendo constare. Idem eleganter profequitur Chrysostomus hom. 8. in Matth.

Difficilius est tolerare quam inuadere.

cium non irrogatur odio veritatis, & ita moriendo non dant testimonium veritati.

Sed dubium est; Vtrum necesse sit re ipsa mortem sequi. Martinus contendit id non esse necessarium; imò propositum sustinentæ mortis sufficere; quia martyrium est actus virtutis; hic autem à nostrâ libertate pendet: re ipsa autem mortem subire, non est in nostra potestate, sed pendet ab arbitrio tyranni.

21 An requiratur mors.

Verum hoc bene refutat Caietanus art. 4. inde enim sequeretur, omnes illos, qui tale habent propositum, esse martyres: quod est contra communem sensum Ecclesiæ. Neque mirum est, fieri martyrem, non esse in sola nostra potestate; quia est opus externum, supponens tyrannum in nos sæuientem. Simili modo sapè fit ut non sit in potestate hominis baptizari, confiteri, ordinari, dare eleëmolyam, &c.

Dicendum igitur est, quatuor gradus martyrii distingui posse.

22 Quatuor gradus martyrii.

Primus & supremus est, martyrium omnino completum: hoc requirit ut mors re ipsa sequatur; per hanc enim fit extrema & summa testificatio veritatis, quamdiu enim vita superest, semper restat aliquid, per quod vterius testari possumus.

Secundus est, Cùm martyrium completum est ex parte causæ proximæ & intrinsecus penetrantis; ut quando inflicta sunt vulnera letalia, quæ nulla vi naturali prohiberi possunt à morte inferenda: hoc enim censendum verum martyrium, etiamsi cõtingat mortem diuinitus impediri: quia est proxima & necessaria ad mortem dispositio.

Tertius est, Cùm est completum ex parte tantum causæ extrinsecus applicatæ, etiamsi martyr nihil inde incommodi sentiat; tale fuit S. Ioannis, cùm in dolio feruentis olei positus fuit: hoc enim est subire mortem in causa per se efficaci, & naturaliter impediri nescia, vnde non est minus efficax testimonium veritatis apud homines, quam si reuera mors secuta fuisset: quinimò quòd mors diuinitus impediatur, auget vim testimonij; nam per hoc omnibus fit manifestum, Deum illius causam approbare.

Quartus est, Quando martyrium seu permissio mortis solum est inchoata per tormenta, ut quando quis propter confessionem fidei coram tyranno, tormentis non letalibus afflictus est. nam & tales passim à Cypriano, Tertulliano, & aliis martyres vocantur, & distinguuntur à confessoribus; quiescens Christum confessi essent, nondum fuerant tormentis subiecti, quamuis in carcerem conclusi, vel in exilium eieci essent. vide Cyprianum ep. 9. quæ inscribitur *martyribus & confessoribus*. & 10. *Honorem martyrum, & confessorum pudorem turbare conatur*. & infra: *Hi sublato honore, quem nobis beati martyres cum confessoribus seruant, contempta Dei lege, quam iidem martyres & confessores tuendam mandant, &c.* Idem apertè colligitur ex epistola 15. 30. 37. 81. & aliis. Tertullianus scripsit librum ad martyres, quos etiam vocat *designatos martyres*. & paulò post *martyres*, cùm ait: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à martyribus in carcere exorare consueverunt.* & lib. aduersus Praxeam, dicit *Praxeam de iactatione martyrii fuisse inflatum, ob breue carceris tadium*. Interdum idem vocantur etiam *confessores*, ut patet ex epistola 17. quæ est Luciani, & 18. Cyprian. &c. nam martyrium etiam est confessio, quia tamen

23

Confessores.

DUBITATIO III.

Quenam ad martyrium requirantur.

19 **R**espondendum cum distinctione martyrii paruulorum & adultorum: nam ad martyrium paruulorum non requiritur aliud, quam ut in odium Christi, aut religionis Christianæ occidantur, est communis sententia Doctorum & sensus Ecclesiæ, quæ Innocentes pueros pro martyribus colit, eò quòd occisi sint propter Christum, de quo supra num. 12. Si enim hi censendi sunt martyres ob hanc causam, cùm tamen nullam aliam relationem ad Christum haberent, quam quòd Christus putaretur inter eos esse, & posse eorum indiscreta cæde inuolui; non minori iure etiam censendi, qui maiorem coniunctionem cum illo habent; ut sunt illi, qui occiduntur quia Christiani, quia baptizati, quia filij Christianorum, &c. hi enim occiduntur quia inest illis certa cum Christo coniunctio, vel ad illum respectus; & ita ipsa mortis perpessione dant testimonium Christo & religioni eius.

Martyrii paruulorum.

20 Martyrii adultorum quinque requirit.

1. Irrogatio mortis odio Christi.

Hæretici.

Ad martyrium adultorum, ut sit quale oportet ad salutem, requiruntur quinque. Primò, Mortis irrogatio. Secundò, Acceptatio eiusdem ex pia causa. Tertio, Ut non resistat tyranno. Quarto, Ut fide teneat veritatem pro qua patitur. Quintò, Status gratiæ.

Primò, Requiritur ut mors inferatur odio Christi, vel religionis Christianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis. martyrium enim est testimonium externum, quod Christo vel doctrinæ eius præbetur per hoc quòd mortem pro ea subimus. hoc autem fieri non potest, nisi aliquis mortem inferat, ut Christum vel eius doctrinam nobis auferat. Hinc hæretici, etiamsi putent se pro doctrina Christi occidi, non sunt martyres; quia mors illa non inferitur illis odio doctrinæ Christi, sed hæreseos, quæ Christi doctrinæ repugnat. Vnde rectè D. Augustinus concione 2. in Psal. 34. ait: *Martyrem non poena, sed causa facit: poena enim communis est laicis & martyri, hæretico & Catholico, sed causa dispar.* Nec refert, quòd ipsi putent se iustam causam habere; tum quia est error culpabilis; tum quia suppli-

est eximia & qualificata, ordinariè distinguitur à nuda confessione.

Ex his patet, martyrium omnino perfectum requirere mortem, reliqua non. Posteriore tamen ævo non vocantur martyres, nisi qui mortem per tormenta vel afflictiones pro Christo inflicta obierunt.

24 *2. Acceptatio.* Secundò, Requiritur mortis acceptatio ob causam honestam & piam. De acceptatione probatur, quia sicut adultus non potest absque suo consensu contaminari peccato, ita neque consequi iustitiam. vnde nec Baptismus quidem adulto prodest, nisi in illum consentiat, eumque acceptet. non tamen est necessarius consensus presens; sufficit precessisse, nec esse reuocatum mutatione propositi.

*Occisus pro Christo in somnis.* vnde si quis ob fidem coniectus in vincula, statueret apud se, perire potius mortem, quam fidem negare; & ille postea in somnis odio fidei interficeretur, esset verè martyr, & haberet martyrii coronam: sicut patet in simili de Baptismo: nam illam mortem accepit; eiusque permissio est ei voluntaria, quatenus pender à voluntate precedente, & in habitu perseverante. Si tamen nihil de morte antea cogitaret, verisimilius est non esse propriè martyrem: sicut cum quis baptizatur in somnis, vel amentia, qui nihil de Baptismo cogitavit, hic non est verè baptizatus; quia defuit consensus.

*Quid si ante nihil de martyrio cogitauerit.*

25 *Obiectio.* Dices, Datur Eucharistia & Extrema vinctio in periculo mortis ei qui repente priuatus est vsu rationis, etiam si antea hæc non petierit; & hæc Sacramenta in illo vim habent; quia ille bona vita sua & modo viuendi Christianè, censetur petisse: ergo similiter martyrium vim habebit si homo iustus in somnis interficiatur: nam hoc ipso quod iuste vixit, videtur satis acceptasse mortem pro Christo sustinendam, si articulus necessitatis vrgeret. Hæc ratio facit hanc sententiam non improbabilem, eamque insinuat Caietanus 3. p. quæst. 87. art. 1. & tenent aliqui recentiores. Contraria tamen videtur verior, ob rationem allatam. vnde

*Respon.*

Respondeo, Esse magnum discrimen: nam illa Sacramenta sunt remedia salutis ordinaria, quæ omnes Christiani in extremis petere solent, si ratione vtantur; & antequam incidant in morbum, habent propositum illis vtèdi in eo articulo: quod propositum manet etiam dum ratione non vtuntur; quia numquam fuit reuocatum. Ipso etiam vsu Sacramentorum per vitam, satis declarant, quid sibi fieri velint in morte. At permissio mortis pro fide non est remedium ordinarium, nec omnes ita sunt comparati vt id desiderant: neque ipso modo viuendi satis declarant se id cupere. Deinde etiam si quis sæpè optaret mori pro Christo extra periculum positus, hoc tamen non sufficeret: tum quia qui extra periculum id optant, sæpè in medijs periculis animum mutant: tum quia de hac morte, quæ ei inopinatò infertur in somnis, nihil cogitavit, nec eam acceptauit. hæc enim acceptatio in eo consistit, quod quis proposita morte & fidei negatione, vel alia impietate, eligat mortem tamquam minus malum: hoc autem ille non fecit, cum id ei propositum non fuerit.

26 *Causa honesta.*

Debet etiam hæc acceptatio fieri ob causam honestam, alioquin ipsa permissio mortis non erit opus virtutis, nec grata Deo. vt si quis statueret mortem pro fide subire ad vanam gloriam, v. g. ad famam patientiæ aut sanctitatis, vel ad nobili-

tandam familiam. Et quamuis per se non sit peccatum mortale, huiusmodi finem intendere in mortis discrimine subeundo, si alius causa sit iusta; (quia quando opus per se licitum est, non est peccatum mortale, si quis ad illud ob finem indifferentem aut venialem se applicet, & per illud huiusmodi finem querat; vt patet in milite bello iusto operam dante) tamen in proposito vix sine peccato mortali fieri potest: nam in huiusmodi negotio tenetur se ad Deum conuertere, & robur ab eo flagitare, vt susceptum agonem decore deceret. quod quomodo faciet, nisi opus illud tamquam Deo gratum præstare velit. Deinde in huiusmodi negotio occurrunt homini multæ rationes ob quas mors sit acceptanda; vt præceptum diuinum, præmium vitæ æternæ, euitatio damnationis, exemplum Christi & Sanctorum, dignitas religionis Christianæ, & similia: atqui moraliter fieri vix potest, vt quis omnibus istis prætermisissis, sola vana gloria moueatur in illo necessitatis articulo; nisi illas causas contemnat, & hanc vnam tantam faciat, vt ob eam paratus sit mori, quamuis alia causa non subesset. loquor enim in eo euentu, in quo vana gloria vel similis finis est integrum motuum hominis.

Denique debet esse *causa pia*, id est, quæ cum vera religione & fide coniuncta sit, verbi gratia, vt placeat Deo, ne Deum offendant, ne à Christi doctrina recedat, ne à vita æterna excidat, &c. vnde 1. Petri 4. dicitur: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescet. nemo autem vestrum patietur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quibus verbis latè explicatur, causam patiendi debere esse piam. ratio est, quia alioquin non erit martyr Christi, sed sæculi vel Philosophiæ: martyr enim Christi dicitur, qui dat testimonium doctrinæ Christi; quæ doctrina omnia quæ ad piè viuendum pertinent complectitur. Itaque si quis pro aliqua assertionè philosophica mortem iustineat, non erit verè martyr, quia Christus eam non tradidit. Secus si pro vitando in ea re mendacio, quatenus id est contra doctrinam Christi, qui docuit omne mendacium esse vitandum; vel quatenus id displicet Deo. Simili modo si quis pateretur pro aliqua virtute absque vilo respectu ad Christum vel Deum, non esset martyr Christi; quia non pateretur vt Christianus, vt cultor Dei, sed vt Philosophus, more Stoico: vt si quis noller mentiri, vel peierare, quia id dedecet Philosophum, sectatorem Epicleti aut Zenonis: secus si quia indecens Christiano seu cultori Christi. Idem dicendum de ceteris virtutibus, vbi*

28 *Omnia causa patiendi in martyrio reducitur ad confessionem fidei.* Aduertendum est, hoc ipso quo quis patitur pro opere virtutis, cum respectu ad Christum vel religionem Christianam, pati etiam pro veritate fidei; quæ tale opus approbat vt Deo gratum, & contrarium improbat vt ei displicens. Itaque martyr semper dat testimonium doctrinæ fidei, & patitur pro illa; nimirum in seipsa nudè, vel in opere virtutis (cuius ipsa est regula) spectata. vt rectè D. Thomas art. 5. quæst. 124.

Dices, Quid si mors inferatur propter opus bonum iam factum, sicut sancto Ioanni Baptista accidit?

Respon-

29  
Martyriū  
pro opere  
transactio.

Respondeo, Tunc eam ita acceptari debere, vt malis eam subire, quàm factum tuum improbare. improbare enim opus bonum, est contra doctrinam fidei, quæ habet, Tale opus esse laudabile & Deo gratum: vnde nolendo improbare, pro fide pateris, eique testimonium tua morte præbes. Nec est contra rationem martyrii, etiam si doleas te id fecisse, (si ex præcepto non tenebaris) ob incommoda, quæ idcirco perfers, (quamuis id gloriam operis nonnihil obscuret) modò in eo perferes, esse opus bonum; & malis mortem oppetere, quàm id negare: quia in hoc testimonium veritatis fitum est.

30  
Acceptatio  
debet esse  
à Spiritu  
sancto.

Petes Primò, Vtrum actus acceptandi debeat esse supernaturalis?

Respondeo, Haud dubiè debere esse aliquo modo supernaturalem, seu ex motione Spiritus sancti; quia solis naturæ viribus non potest quis subire martyrium sine oportere ad salutem; sicut nec alia pietatis opera facere: estque in martyrio peculiaris ratio ob summam difficultatē; & quia fidei Christianæ professionem continet, quam nemo sine auxilio Dei profiteri potest; vt ex Scripturis constat: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* actus autem quo quis salutem consequitur, sine gratia fieri nequit.

31  
An ex dilectione Dei  
supra omnia.

Petes Secundò, Vtrum hæc acceptatio debeat procedere ex dilectione Dei super omnia? Ita videtur sentire Caietan. art. 2. vbi contra Martinum conatur ostendere, martyrium ex genere suo esse actum charitatis imperati. ratio ipsius est, *Quia, inquit, qui ponit vitam pro Christo, ipse factio præponit Christum vitæ suæ, ac per hoc omnibus bonis vitæ minoribus; & consequenter omnibus bonis exterioribus, opibus, honoribus, gloria, fama.*

Id non esse  
necessarium.

Sed contrarium est verius. Primò, Quia multæ sunt aliæ causæ piæ, ob quas mors illa acceptari potest; vt præceptum diuinum, dignitas fidei, exemplum Christi, edificatio proximi, promissio vitæ æternæ, cõminatio damnationis: multi enim Martyres elegerunt mortem pro fide Christi, ne vita æterna exciderent, & æternam mortem pro momentanea incurrerent; vt ex gestis Martyrum constat. Sic Eleazarus lib. 2. Machab. cap. 6. *Et si in presenti tempore supplicis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vitæ, nec defunctus effugiam.* Et hæc est præcipua ratio, quam Dominus ipse nobis ob oculos ponit, cum dicit Marci 8. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; & qui perdidit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam.* quibus verbis efficacissimè nos deterret, ne in tormentis, vitæ saluandæ causâ, fidem negemus, proposito æterno exitio; & animat ad constantem vitam temporalem profundendam, proposito vitæ æternæ præmio. Igitur qui hæc sibi in martyrio proponit, & ex his le firmat in confessione contra tormenta, facit ex mente Christi. Idem patet ex multis aliis. Scripturæ locis, quibus excitatur ad patientiam in tribulationibus, per remunerationem; Lucæ 21. ad Hebræos 10. Iacobi 5 &c.

Secundò, Quia quando aliquid per se pium & religiosum est, nulla est necessitas vt id ex affectu charitatis fiat; (vt patet in actu fidei, spei, religionis) quia satis per se placet Deo: atqui eligere mortem pro fide Christi, est per se pium, est enim opus fidei & fortitudinis Christianæ: ergo.

Tertiò, Matth. 10. Dominus ait: *Omnis qui con-*

*fitabitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo. vbi non requirit vt hæc confessio procedat ex dilectione Dei super omnia.*

Fateor tamen, ordinariè hanc acceptationem etiam ex charitate procedere; quia fit affectu placendi Deo, eique gratum obsequium exhibendi: qui affectus est charitatis: quo modo intellige dilectionem Thomam art. 2. ad 2. *martyrium esse actum charitatis vt imperantis: imperari enim à charitate, nihil est aliud, quàm procedere ex affectu charitatis.*

Hic tamen affectus non est idcirco dilectio Dei super omnia, quia non omnis affectus charitatis in Deum est dilectio super omnia: hæc enim includit propositum seruandi omnia mandata propter Deum, quod propositum non includitur in simplici affectu illi placendi per martyrium. aliud enim est velle placere Deo in illo opere, aliud velle placere in omnibus præceptis obseruandis. Vnde etiam velle ponere vitam pro fide Christi, non

32  
Ordinariè  
tamen procedit  
ex affectu charitatis.

Hic affectus  
non semper  
est dilectio  
Dei super  
omnia.

est dilectio Christi super omnia, vt vult Caietan. Primò, Nam ex vi huius solius voluntatis non est paratus seruare omnia præcepta: multi enim mallent mori, quàm fidem Christi negare; non tamen idcirco deserunt fornicationem, ebrietatem, & similia peccata, quæ ipsi minoris altimant, quàm Christi negationem: quod signum est, illam voluntatem non includere propositum seruandi omnia mandata; ac proinde non esse dilectionem Dei super omnia. Confirmatur, quia qui horret maiora peccata, non statim hoc ipso etiam horret minora: & qui ita detestatur abnegationem Christi vt præoptet mortem, simul potest habere propositum fornicandi. Secundò, Si iste actus esset dilectio Dei super omnia, statim per eum homo consequeretur remissionem peccatorum, nec opus ei esset contritio: quia dilectio illa iustificat hominem, conformans eum perfectè legi diuinæ, & delet omnia peccata mortifera: atqui non est probabile, eo ipso peccatorum iustificari, quo statuit secum potius mortem subire, quàm fidem negare: quia cum illo proposito potest consistere voluntas minoris peccati: ergo hoc propositum non est dilectio Dei super omnia. Tertiò, Esse paratum mori pro aliquo, non est illum diligere supra omnia; tum quia vita corporalis non est maximum hominis bonum, (multi enim pluri faciunt honorem, famam, posteritatis splendorem;) tum quia qui pro amico vitam ponit, non diligit eum supra omnia: non enim habet illum pro vltimo fine suo.

33  
Velle ponere vitam  
pro Christo, non est  
dilectio Christi supra omnia.

Dices, Qui paratus est vitam fundere pro Christo, paratus etiam est cetera omnia, etiam voluptates suas, quibus fruitur in vita, propter ipsum deserere, atque adeo re ipsa deserit illas, mortem acceptando: ergo acceptatio illa est dilectio Christi supra omnia.

34  
Obiectio.

Respondeo, Inde vt summum sequi, illum male omnia deserere quàm Christum negare; non autem velle absolurè omnia deserere vt Christo placeat: vnde non est dilectio super omnia. cuius signum est, quòd possit quis velle mori, ne fidem darat amico violet: hic tamen non ideò diligit amicum super omnia. Simili modo possum affici in Christum absque dilectione super omnia. Nec obstat illud Domini, Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* quia hoc est intelligendum, quando



Maxima  
charitas in  
proximum.

absque intuitu proprii commodi, sola dilectio amici, ut eum à malis liberet, vel bonis cumules, te ad ponendam animam impellit: tunc enim ponere animam pro amicis, est signum maximæ dilectionis, non simpliciter, (non enim idè diligit amicum super omnia) sed quæ honestè ipsi impendi possit. quòd si proprium commodum ad hoc incitet, ne talis quidem maximæ dilectionis signum erit.

35  
Est maxi-  
mum signum  
dilectionis.

Hinc patet, ponere animam pro Christo, nõ esse per se infallibile signum dilectionis Christi super omnia: quamquam fatendum sit, inter signa dilectionis diuinæ, quæ homines exterius dare possunt, martyrium esse vel maximum. quia etsi per se illa mortis acceptatio non sit dilectio super omnia, hæc tamen illi ordinariè est coniuncta; tum quia Deus singulari modo hominem in illo articulo constitutum ad eam excitat, tum etiam quia homo se quantum potest disponit, & omnium virtutum præsidia ad illum agonem accersit.

Debet cha-  
ritas adesse  
saltem in  
sine.

Similiter non obstat illud, Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem nõ habero, nihil mihi prodest.* quia solum vult docere, cetera omnia nihil prodelle, nisi charitas adsit in eodem homine; non autem solum colligitur, martyrium non prodelle; nisi saltem circa finem, dum adhuc durat, charitas adsit. simili modo dicere potuisset, Baptisimum sine charitate non prodelle.

36  
3. Non ve-  
sistit.

Tertio, Requiritur ut non resistat tyranno, hinc milites, quamvis pro fide pugnent, & multum mereantur, si pura intentione id faciant, non tamen sunt martyres, cum in bello decumbunt; nec Ecclesia vnumquam tales pro martyribus coluit. ratio est, quia martyr Christi debet in patiendo imitari Christum, cuius passio est exemplar martyrij. Vnde sicut ille dedit testimonium veritati patiendo, non repugnando; (*cum enim pateretur, non comminabatur, sed tamquam omnis coram sondente se, sine voce*) ita omnes, qui volunt esse martyres Christi, non debent persecutori armis repugnare, sed sincere se tranquille occidi. Confirmatur, quia qui pugnant moritur, non eligit pro fide mortem perpeti, sed inferre; vnde reuera non acceptat mortem, nisi indirectè, quatenus se periculo exponit. Deinde moriendo non dat testimonium veritatis fidei; quia non videtur mori ut Christianus, sed ut miles victus ab hoste: nec mortem eligit voluntariè, sed patitur necessitate, eò quòd non potuit illam hosti inferre. erit tamen martyr, si iam victus, odio religionis occidatur, & ille ob eam causam mortem acceptet.

37  
4. Ut fide  
teneat ve-  
ritatem.

Quarto, Requiritur ut fide supernaturali veritatem illam credat, pro qua potissimum tuenda mortem eligit. Primo, Quia si proprio iudicio illam teneat, sicut hæretici, non tamen tueretur doctrinam & auctoritatem Christi, quam suam. non enim quia Christus ita docuit, sic sentit; sed quia ipsi ratione aliqua infirma ita videtur. Confirmatur, Quia eadem ratione, qua illam veritatem credit, etiam suas hæreses credit, & pro illis paratus est mori: quod est signum, illum reuera non moueri auctoritate Christi, aut alia pia ratione ad ita firmiter credendum, & mortem pro sua fide acceptandam sufficiente, licet exterius ita videatur.

Obiectio.

Dices, Fieri potest ut patiar mortem pro aliqua veritate fidei, quam ratione naturali nonit esse veram; pro confessione vnus Dei, vel

detestatione idolorum, &c. quæ notitia & sufficiens est ad firmiter credendum, & ad mortem subeundam.

Respond. Etsi hæc notitia sit sufficiens, tamen non idè propriè erit martyr Christi, quia non credit propter auctoritatem Christi, vel Dei; sed propter rei persequitatem. Respon.

Secundò Probatur, quia Patres docent, hæreticos, etiam si pro nomine Christi mortè subeant, non esse veros Christi martyres; & extra Ecclesiam martyrium nihil prodelle: idque tum quia Christo per veram fidem non sunt coniuncti; tum quia charitate (quæ sine vera fide esse non potest, & sine qua mors pro Christo, iuxta Apostolum, nihil prodest) sunt destituti. Cyprianus epist. 73. ad Lubaianum: *Numquid potest vis Baptismi esse maior aut porior quam confessio? quam passio? ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? & tamen neque hoc Baptismus hæretico prodest, quamvis Christum confessi, & extra Ecclesiam fuerint occisi; nisi si hæreticorum patroni & aduocati hæreticos in falsa confessione Christi interfectos, martyres predicant, &c. vocat falsam confessionem; quia non procedit ex vera fide, sed simulata & falsa. Idem docet epist. 52. ad Antonianum, & alibi sæpè. Idem tradunt D. Augustinus epist. 61. & 167. lib. 3. contra Crescon. Grammat. cap. 47. lib. 4. contra Donatistas cap. 17. Hieron. in cap. 1. ad Galatas, Chrylostomus Oratione prima contra Iudæos.*

Quinto, Requiritur status gratiæ, vel saltem legitima ad gratiam dispositio; nam ut ex Apostolo 1. Cor. 13. & Patribus citatis constat, martyrium sine charitate nihil prodest. Nec refert quòd absque statu gratiæ possit esse actus martyrij, si solum operis substantiam spectes; quia cum hic nihil proficit, nec Christus tales pro suis agnoscat, meritò non habentur pro veris martyribus. 39  
5. Status  
gratiæ vel  
dispositio  
ad eam.

Sed difficultas est, quænam sit illa dispositio. De qua sit

#### D V B I T A T I O I V.

Quænam dispositio in peccatore sit necessaria, ut martyrium ei proficit ad salutem.

Sunt tres sententiæ. Prima est, Necessariam esse veram contritionem, ex dilectione Dei super omnia profectam. Ratio est, quia putant Auctores huius sententiæ, martyrium non conferre gratiam per se & vi sua, sed solum ex opere & affectu patientis. quare sicut peccator extra martyrium non potest iustificari sine vera contritione, (nisi Sacramentum penitentiae suppleat) ita nec in martyrio. Ita sentit Paludanus in 4. d. 4. qu. 3. art. 1. vbi dicit: *Ad Baptisimum sanguinis non sufficit attritio, sed requiritur contritio. Ad Baptisimum aque sufficit attritio. & causa est, quia ille iustificat ex opere operato, iste ex opere operante.* 40  
1. Senten-  
tia, requiri  
contritio-  
nem.

Nec obstat quòd paulò post dicat, *martyrium æquipollere Baptismo aque in duobus effectibus priuatiuis, qui sunt amotio omnis culpæ, & remissio omnis pœnæ.* quia tribuit illi hos effectus ratione charitatis ex qua procedit. Bonauentura eadem dist. p. 2. quæst. 2. *Baptismus sanguinis solum à veniali liberat, à mortali non, quia præsupponit charitatem; aliter nihil valeret ad salutem. & infra: Gratiam non tribuit, sed consummat.* Alex. Halensis 4. p. qu. 2. 2. memb.

memb. 5. art. 1. Virtute martyrii non confertur gratia, sed collata confirmatur, &c. eandem sententiam sequitur Canus relect. de pœnit. par. 3. Probatum Primò, Quia non est Sacramentum: ergo non habet vim ex opere operato, sed solum ex interno motu animi. Secundò, Quia Apostolus 1. Corinth. 13. ait: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

41. *2. Sententia.* Sufficere voluntatem patienti pro Christo, nec opus esse alia pœnitentia, etiam si homo recordetur suorum peccatorum. Ratio est, tum quia hæc voluntas est virtualis quadam dilectione Dei super omnia, & peccatorum detestatio; tum quia non expedit, hominem tunc occupari circa peccata sua, sed totum intentum esse martyrio sustinendo. Ita Vega lib. 6. in Concil. Tridentinum cap. 36. sub finem: ubi addit hanc rationem: Quando duo sunt remedia salutis per se sufficientia, possumus eligere vtrumlibet: sed martyrium per se est sufficiens; ergo possumus illud amplecti, omitta formali pœnitentia.

42. *3. Requiritur attritio.* Tertia est, Requiritur saltem attritionem, si homo sit conscius peccati.

Pro solutione Notandum est, contritionem posse dupliciter requiri ad fructum martyrii. Primò Directè, tamquam necessariam dispositionem. Secundò Indirectè, tamquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum. His positis

*Contritio requiritur indirectè.* Dico Primò, Si is, cui martyrium imminet, sit in peccato mortifero, necessaria est illi ad fructum martyrii contritio indirectè, (vel saltem attritio, qua putetur esse contritio) tamquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum, quod fructum illius impedit.

Probatum Primò, Quia si vniquam obligat præceptum contritionis, maximè in periculo mortis: atqui is qui subiturus est martyrium, est in periculo mortis: ergo ratio illius præcepti tenetur tunc contritionem concipere: quare si id voluntariè omittat, peccat mortiferè, & continenter manet in actuali peccato, quamdiu omittit: vnde martyrium ei prodesse non potest. impossibile enim est hominem iustificari, quamdiu manet in affectu peccati. Vnde patet, contritionem requiri, si non per se vt dispositionem, saltem vt opus necessarium ad vitandum nouum peccatum contra præceptum contritionis; quod tunc obligat, non propter fidei confessionem, sed generatim ob periculum mortis, ex quacumque causa id impendat. Deinde attritionem, si putetur esse attritio, non sufficere; quia per eam non satisfit præcepto contritionis. secus verò si bona fide putetur legitima contritio; quia ita ei satisfit vt contra illud non peccetur.

43. *Obiectio.* Dices, Contritio non requiritur in periculo mortis, nisi propter iustificationem: atqui probabile est, attritionem cum martyrio sufficere ad iustificationem; sicut sufficit cum Baptismo & Pœnitentia, vt statim dicemus: ergo sufficit attritio, etiam cognita pro tali. Confirmatur, Ille error non potest inuare ad iustificationem: ergo est impertinens.

*Respons.* Respondeo, Et si sit probabile, attritionem sufficere cum martyrio ad iustificationem, tamen non est certum; quia multi Doctores tenent contrarium. in illo tamen extremo æternæ salutis discrimine homo non potest sequi vias dubias,

relictis certis, sed tenetur eligere certam quantum fieri potest: alioquin sine causa exponit se periculo damnationis: nam si illa opinio non sit vera; eius probabilitas non supplebit defectum necessariæ dispositionis, & ita martyr ille non saluabitur. Secus est in Baptismo & Pœnitentia: tum quia certius est attritionem ibi sufficere, tum quia non subest periculum præsens damnationis; loquimur enim extra casum mortis. Satis tamen probabile est, in simili discrimine, etiam in his opus esse contritionem.

Ad confirmationem: Ille error inuaret ad iustificationem per accidens; quia excusat à violatione præcepti contritionis. Itaque cum non peccet contra præceptum, si aliàs attritio est legitima dispositio, homo per martyrium iustificabitur.

Secundò Probatum, Martyrium non est institutum vt remedium delendi peccati, sicut Baptismus & Pœnitentia; sed est opus heroicum, supponens hominem benè constitutum ad mortem persequendo: ergo non tollit obligationem remedium ordinariarum, sed potius ex se requirit, vt homo quantum in se est, faciat omnia quæ Deus præscripsit ad gratiam ante mortem consequendam, vnde si non est baptizatus, tenetur quatenus ei facultas suppeditat, procurare Baptismum; si non suppeditat, tenetur conuerti in Deum per dilectionem super omnia, & concipere contritionem. Pari modo, si baptizatus est conscius peccati mortiferi, tenetur confiteri: si non potest, tenetur concipere contritionem: hæc enim omni tempore fuit medium necessarium ad remissionem peccati, præsertim quando Sacramentum externum, ad hunc effectum institutum (quod contritionis vicem suppleat) adhiberi nequiuit.

Dico Secundò, Contritio non est necessaria per se & directè vt dispositio ad fructum martyrii, sed sufficit attritio. Est sententia D. Thomæ 3. p. qu. 87. ar. 1. ad 2. Passio, inquit, pro Christo suscepta obrinet vim Baptismi, & ideo purgat ab omni culpa veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhaerentem. Idem docet Caietanus ibidem, & passim Thomistæ sequuntur.

Probatum prior pars, quia fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet martyrium per se nullam vim habere ad remissionem culpæ mortiferæ; sed solum ex interno affectu patientis, videtur omnino falsum.

Primò, Quia alioquin etiam in paruulis sanctificandis nullam vim haberet, quod et si Alexander Halensis loco citato concedat, & Adrianus in 4. q. vltima de Baptismo ad 3. probabile putet, est tamen contra sensum Ecclesiæ, quæ Innocentes pro Christo occisos, semper tamquam martyres sanctos coluit: & contra communem DD. & Patrum sententiam, qui docent, illos, dum pro Christo occiduntur, esse factos martyres Christi; consecutos statim melioris vitæ, regnum cælorum, gloriam martyrii, esse factos consortes Agni, &c. vt supra ostensum est.

Neque dici potest, paruulis esse factum particulare priuilegium præ adultis: quia priuilegium annexum martyrio non est concessum intuitu personæ, sed causæ; id est, non quia erat martyrium paruulorum; sed quia erat passio pro Christo, & conformatio cum Christo patiente; quæ causæ perfectius cernitur in adultis, quam in paruulis.

Tenetur homo in periculo mortis sequi viam certam quam quantum potest.

Error per accidens inuaret.

44. Martyrii supponit bonam conditionem in homine.

45. Non est directè necessaria.

Martyrii per se vim habet.

46  
Aequatur  
Baptismo à  
SS. Patri-  
bus.

Secundò, Quia illud fundamentum non est consentaneum doctrinæ Patrum, qui martyrium adulatorū, in vi delendi peccati, æquant Baptismo. Clemens lib. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 5. *Qui martyrio habitus est dignus, is latuit in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, & quod propter confessionem ex hac vita exeat. & si catechumenus sit, recedat ad Deum latus; cruciatus, quo propter Deum afficitur, erit ei verior Baptismus; quod is quidem experientia ipsa mortis commoritur Christo; reliqui verò mystica representatione. vbi non actum internum, sed ipsam mortem externam pro Christo obitam, præfert Baptismo quoad efficaciam; quia est realis configuratio cum Christo. Tertullianus in Scorpiaco: *Martyribus nulla delicta posse impurari quibus in lauacro vita ipsa deponitur. & in Apologet. sub finem: Quis non pariter exoptet ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim huic operi delicta donantur, quibus locis causam remissionis peccatorum & iustificationis tribuit passioni & morti. Cyprianus epistola 73. Numquid potest vis Baptismi esse maior aut potior quam confessio? quam passio? ut quis coram hominibus Christum consecratur, & suo sanguine baptizetur? Sanè si passio pro Christo non haberet vim nisi ex opere operantis, longè maior esset vis Baptismi, qui per se ad salutem valet. D. Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 7. *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum vis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. quod probat, quia qui dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. etiam dixit, Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: & qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Addit: Hinc est quod scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur? Denique toto eo capite morti tribuit hoc priuilegium. & cap. 6. *Si pro pietate iustitiaque pendatur, (mors) sit gloria renascentis; & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. Idem docent alij Patres.****

Vbi Notandum est, ipsam mortis perpeffionem secundum se comparari cum Baptismo, eique non minorem vim tribui in peccatis abluendis, quam Baptismo; neque hanc vim tribui internæ contritioni, sed operi externo: ergo sicut Baptismus non requirit contritionem ut gratiam conferat, ita nec martyrium.

Tertio, Si contritio esset necessaria, numquam martyrium posset conferre primam gratiam iustificationis; nam hæc haberetur iam per ipsam dispositionem. hoc tamen est contra sententiam Patrum, qui non minus omnem culpam per martyrium deleri volunt, quam per Baptismus.

Quarto, Si solum haberet vim ex opere operantis, non magis deleret peccatum quam exilium pro Christo, carcer, direptio bonorum, elemosyna Christi amore data: quod est contra Patres supradictos, & communem sensum Ecclesiæ.

Quinto, Non esset certum, martyrio defunctos regnare cum Christo; imò posset meritò sæpè de eo dubitari: quia si quis multa commiserit peccata, opus est longa satisfactione, vel feruentissimis actibus internis, ut ex opere operantis omne

debitum pœnæ tollatur. Sæpè autem fit ut martyrium parum patiat, & actus internos parum feruentes habeat. Itaque temerè faciet Ecclesiæ, quòd illos statim pro martyribus sine vilo discrimine habeat, & pro illis orari nolit. Neque rectè dixerit Innocentius III. c. c. Cum Marthæ, de celebrat. Missarum, §. finali, ex D. Augustino, *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.*

Dices, Martyrium in adultis habere id priuilegium, ut per se tollat omnem pœnam, quia admittit tempus necessarium ad satisfactionem, non autem ut per se tollat omnem culpam; hanc enim momento temporis tolli posse per actum proprium hominis, dilectionem vel contritionem: vnde non fuisse opus ut ipsi martyrio per se hoc priuilegium daretur. ut enim martyrium deleat omnem culpam & pœnam, statimque celo inferat sicut facit Baptismus, satis esse, si ratione actus interni, qui ordinariè adest, deleat culpam; & ratione passionis externæ, reatum pœnæ. In paruulis autem habere priuilegium delendæ culpæ originalis; tum quia hæc aliena voluntate contracta est, tum quia illi non sunt capaces actus proprii: vnde ut aliquem fructum possent ex martyrio reportare, necessarium fuit ut id ei concederetur.

Hic modus dicendi non videtur improbabilis, & iuxta illum defendi posset sententia D. Bonauenturæ, Paludani, & aliorum, qui requirunt actum charitatis vel contritionis.

Verùm Patres citati amplius velle videntur, dum ipsam perpeffionem mortis non minorem vim ad salutem habere volunt, quam Baptismus: quod verum proprie non esset, nisi etiam per se haberet vim sanctificandi. Deinde non distinguunt de culpa & pœna; & generatim docent, omnem culpam etiam originalem, per illam passionem veluti per Baptismus sanguineum deleri; idque quia est realis configuratio Christi. Si enim Baptismus aqua, qui est tantum configuratio mystica, tantam vim habet; quomodo martyrium, quod est configuratio realis, non habebit?

Denique, alioquin sæpè valde incertum esset an martyr esset saluus; quia sæpè fit ut non tam perfectos actus internos habeat, ut per eos omnia peccata deleri queant.

Ex his facillè probari potest altera pars, nimirum sufficere attritionem. Si enim non est necessaria contritio ut peccatori proficit martyrium ad salutem, ergo sufficit attritio; nam post contritionem & dilectionem Dei super omnia, non potest esse melior dispositio quam attritio.

Quod confirmatur Primò, Quia attritio sufficit ut Baptismus proficit: ergo etiam ut martyrium; cum hoc non minorem vim habeat, ut patet ex dictis. Secundò, Nisi attritio sufficeret, numquam martyrium deleret peccata mortifera; hoc autem non est consentaneum sententiis Patrum: ergo. Tertio, Martyrium per se habet vim augendæ gratiæ: ergo conferet primam iustificationis gratiam peccatori non ponenti obicem. consequentià patet à simili in Sacramentis omnibus, quæ conferunt primam gratiam non ponenti obicem, ut communiter Doctores tradunt; idque ideò, quia per se & vi sua gratiam conferunt: atqui non ponitur obex, sed tollitur per attritionem; quia per hanc affectus absolute recedit à peccato, & conuertitur ad iustitiam;

ergo

47  
Obiectio.

Est probabile.

Non satisfaciunt hic modis.

48  
Sufficere attritionem ad martyrii fructum.

ergo sufficit attritio ad fructum martyrij. Confirmatur, quia attritio est vltima dispositio ad gratiam; inter eas quæ per se gratiam non includunt vel adducunt: ergo est sufficiens; vt martyrium; quod per se gratia est efficax, superueniens; primam iustificationis gratiam conferat. Quarta, Multi acceptant martyrium timore damnationis æternæ; & ex eadem causa dolorem peccatorum concipiunt: hi tamen coluntur pro sanctis martyribus; cum solum habuerint attritionem.

Neque dici potest, Ecclesiam præsumere, omnes qui patiuntur pro Christo, si in peccatis sint, concipere perfectam contritionem; quia satis constat experientia, plurimos perire metu damnationis, idque sufficere ad fructum supra ostensum ex verbis Domini, *Qui amat animam suam, &c.*

Si aduertat esse attritionem.

Notandum tamen, si martyr aduertat suum dolorem esse imperfectum, ob metum gehennæ, debere conari ad excitandum perfectiorem, quod certiori modo se disponat, vt antè dictum est. si autem non aduertit, excusatur, & attritio per se sufficit.

49 An voluntas patiens pro Christo sufficiens.

Pœnitentia peccatori necessaria.

Dico Tertio, Esti voluntas patiendi pro Christo; per se sufficiens sit ad fructum martyrij in iustis; non tamen videtur satis esse in peccatore. & primum, si est sibi conscius peccati mortiferi, videtur certum; quia tenetur excitare in se dolorem, & petere veniam, vt Deo reconcilietur. pœnitentia enim est medium per se necessarium ad reconciliationem, quando homo aduertit se esse in peccato: cuius ratio est, quia qui cupit reconciliari, debet factum suum, quo offendit, quantum in se est, abolere & reddere infectum; quod non fit, nisi illud detestando, & de eo dolendo, cum proposito emendationis: atqui martyrium non tollit obligationem adhibendi remedia salutis ordinaria, si adhiberi possunt; sed potius facit vt illa obligatio hic & nunc vigorem habeat, cum hominem in periculo mortis & extremi certaminis constituat. Neque ille dolor distrahet animum, aut debiliorem reddet circa martyrium; sed magis excitabit & confirmabit, consideratio enim & dolor peccatorum efficiet, vt libentius mortem pro Christo feras: tum vt ingratitudinem præteritam corrigas; tum vt pro peccatis satisfacias; vt patet exemplo Bonifacij martyris, & aliorum. Neque enim martyr ita debet esse inuentus cogitationi mortis pro fide subeundæ; vt non cogitet varias rationes & motiua cur eam subire & amplecti debeat.

Dolor de peccato non impedit considerationem necessariam martyri.

50 Peccator non aduertens se esse in peccato.

Quod si non aduertat se esse in peccato, est maior difficultas. Sed vtendum distinctione: si enim voluntas patiendi pro Christo talis sit; vt ex vi illius necessariò sequeretur contritio vel attritio, occurrente peccato; sufficit cum martyrio: quia est contritio vel attritio virtualis. si autem non sit talis per se, credibile est non sufficere. Exemplum hoc esse poterit: Sit Catholicus aliquis feruens pro religione, sed vitio carnis vehementer deditus: hic ab hæreticis interceptus, repente iubeatur abnegare fidem Ecclesiæ Romanæ, & iurare in sectam Caluini; & ille amore fidei orthodoxæ & odio hæresis eligat potius mori; & priusquam alia cogitet, occidatur. non enim illa voluntas moriendi pro fide videtur esse talis, vt ex ea necessariò secutus sit dolor de peccatis carnis, si illa memoria occurrerent.

Obiectio. Contra obiici potest Primum, Dominus generaliter dixit; *Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: & quicumque perdidit animam suam propter me, & propter Euangelium, viuificabit eam:* atqui hic confitetur Christum, & perdit animam suam propter illum: ergo. Secundò, Quia D. Thomas 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. dicit, *Passio pro Christo suscepta purgat ab omni culpa & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccati inuenerit inherentem:* atqui hic non inuenit voluntatem actualiter peccati inherentem: ergo. Tertio, Nisi talis sit saluus, meritò poterit Ecclesia de multis martyribus dubitare; ac proinde etiam pro illis orare, quod est contra dictum Innocentij supra allatum. Quarto, Deet diuinam bonitatem, vt illam bonitatem acceptet pro dispositione ad hoc sufficiente vt per realem conformationem cum Christo patiente gratiam consequatur. Nec refert quòd ad Baptismum requiratur attritio formalis vel virtualis, nec sufficiat illa voluntas; tum quia hæc voluntas non sufficit, nisi coniuncta cum opere externo, cui annexum est illud priuilegium: tum quia Patres maiorem vim tribuunt martyrio quàm Baptismo: tum denique quia illa acceptatio mortis pro Christo in illis terroribus & doloribus, censerit potest virtualis quadam dilectio Dei opere ipso exhibita; ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret.

Responsio. Ob has rationes est satis probabile, hanc voluntatem sufficere in casu proposito, & quotiescumque non aduertit quis se esse in peccato. & sanè ea videtur esse mens D. Thomæ, & Caiet. supra, & Soti in 4. dist. 3. q. vnicæ, ar. 1. 1. vbi dicit, martyrium in eo solum differre à Baptismo flaminis; (quod sola contritione vel dilectione supra omnia cum voto Baptismi constat) quòd illud non requirat formalem detestationem, sed solum hunc actum; *Volo mortem pro Christo perire: hunc enim actum cum opere exteriori sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam & pœnam, si non opponatur obex complacentia illius criminis.* Hic tamen in duobus falli videtur. Primum, Quòd videatur existimare cum Vega, martyrium non requirere formalem detestationem, etiam si peccata memoriæ occurrerent; quod sine dubio falsum est. Secundò, Quòd putet illud solum operari per modum meriti, vt patet ex verbis Soti, quæ paulò antè habet eodem art. inde enim sequeretur, peccatorem; dum vult pati pro Christo, mereri remissionem peccati mortalis; quod sanè falsum est; nisi quis improprie & largè de merito loquatur, vt se extendit etiam ad dispositionem non vltimam, & aptitudinem cum qua consistere possit peccatum. Eandem probabilem censet noster Suarez disput. 39. sect. 3. de Sacramentis. Facile tamen argumenta proposita solui possunt.

Vnde ad Primum dicendum est: Generales huiusmodi sententias habere tacitam conditionem vel limitationem, Si necessaria dispositio, & alia requisita adsint, vt multis exemplis ostendi potest. Simili modo dicitur de Baptismo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:* & tamen requiritur saltem attritio.

Ad Secundum: D. Thomas ibi non plus tribuit martyrio quàm Baptismo, ait enim: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi: vnde purgat ab omni*

omni culpa, &c. Itaque supponit aliquam formalem vel virtuales penitentiam præcessisse; sicut in Baptismo est necessarium.

Ad Tertium: Ecclesia non statim habet aliquem pro sancto martyre, nisi constet illi quomodo in confessione & passione se gesserit.

Adde, rarissimum esse ut non adsit saltem virtualis attritio; quia Deus singulari modo tunc operatur, iuxta illud Marci 13. *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

## DUBITATIO V.

Quam vim habeat martyrrium, & quando conferat suum effectum.

53  
Actus interni in martyrrio.

IN martyrrio duo sunt consideranda; actus interni, & externa perpassio. Interni, sunt affectus varij, ex quibus passio acceptatur. potest enim hæc acceptari ex affectu charitatis, vel obedientiæ, vel religionis, vel fidei, vel spei, vel fortitudinis Christianæ. quo posito,

Dico Primò, Hi affectus & acceptatio ex vi illorum proveniens in iustis, sunt meritorij vitæ æternæ; quia sunt opera pietatis Christianæ: & delent omnes culpas veniales, quarum continent virtuales detestationem. debitum poenarum per se non tollunt integrè, sed non nihil minuunt, sicut omnia bona opera, præsertim laboriosa & pœnalia. In peccatoribus verò solùm disponunt ad gratiam iustificationis, idque vel proximè, ut affectus dilectionis super omnia; vel remotè, ut ceteri.

54  
Externa perpassio habet vim quasi ex opere operato.

Dico Secundò, Externa perpassio pro fide suscepta, per se & quasi ex opere operato habet vim delendi omnem culpam, & conferendi gratiam iustificationis, subiecto debite disposito, & tollendi omnem reatum pœnæ, ut colligitur ex testimoniis Patrum & D. Thomæ supra. Idem docet Durandus in 4. d. 4. q. 8. nu. 6. & 14. Richard. eadem dist. ar. 2. q. 3. in fine. Maioribidè q. 3. Suarez disp. 39. & plerique alij recentiores. ratio est, quia si vis delenda omnis culpæ & pœnæ collata est Baptismo, eò quòd sit mystica quædam configuratio moris Domini, ut ex Apostolo ad Rom. 6. constat, multò magis conveniebat hanc vim tribui martyrrio, quæ est talis conformatio cum Christo moriente. hanc rationem apertè habet Clemens lib. 5. cap. 5. & reliqui Patres, qui martyrrium vocant *Baptismum sanguinis*. Unde rectè Durandus supra num. 6. *Non minus, inquit, operatur passio Christi ad salutem in eo, qui ei conformatur secundum realem susceptionem, quam in eo, qui conformatur ei solùm secundum figuralem representationem.* Et in fine: *Martyrium non solùm habet efficaciam à charitate patientis; (licet illa requiratur secundum Apostolum) sed ex causa patiendi, & ex conformitate ad passionem Christi: propter quæ virtus passionis Christi æquè plene vel plenius communicatur martyrrio quam Baptismo.* ubi nota, Durandum requirere charitatem, non ex qua martyrrium procedat, sed quæ adit unà cum martyrrio, saltem in fine; quam ipsum martyrrium adducere potest. quænam autem ad hoc dispositio requiratur in peccatore, patet ex dub. 4.

55 Hinc sequitur, martyrrium in homine iusto habere vim augendæ gratiæ, & tollendæ omnis pœ-

na: si enim habet vim delendi peccati, & conferendæ gratiæ instar Baptismi, ubi non inveniuntur impedimentum; maxime eam conferet iustis, qui nihil habent gratiæ infusioni repugnans; ac proinde in ipsis gratia augetur. Confirmatur, quia Iustitia est melior dispositio ad suscipiendum incrementum sanctitatis quàm attritio (quæ simul consistit cum peccato) ad primam sanctificationem: ergo si homini attritio confert gratiam, multò magis iusto conferet. Denique ipsum significant Patres supra citati.

Petes, Vtrum deleat etiam culpam omnem venialem.

Respondeo, Si affectus nullo modo ei inhaeret, valde probabile est deleri; quia tunc voluntas patiendi pro Christo potest ceteri sufficiens dispositio, ut accedente ipsa passione, illa peccata deleantur: quod sanè multò credibilis est de venialibus, quàm de mortiferis.

Si verò affectus illi actu inhaeret, quidam putant adhuc deleri, non quidem eo ipso tempore quo inhaeret; (hoc enim contradictionem implicat) sed postea, vel saltem post mortem; ut si affectus ille peccati venialis duret toto tempore martyrrij. Ita Gregorius à Valentinus ditp. 8. quaest. 2. p. 2. Idem videtur sentire Caietanus 3. p. q. 37. a. 1. ubi dicit, *Si quis inisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo; crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrrium consequi; quamvis per Baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter actualitate virtualiter inhaerentem.*

Sed hæc sententia non videtur consentanea D. Thomæ, qui eodem loco ad 2. tatis inlinuat, martyrrium non habere maiorem vim delendi peccati, quàm Baptismum; nec delere peccatum veniale, si voluntatem inveniit ei actualiter inhaerentem, sicut hic inveniit, saltem actu virtuali, ut Caietanus fatetur. Neque etiam veritati, quia ad remissionem peccati actualis, cessante iam actuali vel virtuali inhaerentia, semper requiritur aliqui motus animi, quo peccatum illud actu vel virtute displiceat; ut apertè docet D. Thomas supra q. 87. art. 2. ad 2. qualis est contritio, attritio, duplicentia peccati, dilectio Dei supra omnia, voluntaria susceptio eius quod peccati est remedium, v. g. susceptio Baptismi, Penitentiae, extremæ Unctionis, & aliorum Sacramentorum, iuxta D. Thomam eadem q. art. 3. denique acceptatio martyrrij. sed de hoc plura alibi.

Quod attinet ad momentum temporis, quo martyrrium suum effectum confert, Caietanus 2. 2. qu. 124. art. 4. ad 2. argumentum Martini, inlinuat conferri in instanti vitæ terminatio. Ratio ipsius est, quia in eo instanti martyrrium terminatur, & adhuc existit veluti in termino; & homo tunc adhuc meretur veluti in termino: ergo tunc effectum suum confert. Confirmari potest hæc sententia; quia sicut Sacramenta conferunt gratiam in instanti terminatio quo perficiuntur, ita etiam martyrrium: atqui hoc in martyrrio est instantis mortis: ergo, &c.

Sed hæc sententia non videtur probabilis, si illud momentum ponatur vitæ extrinsecum, sicut Caietanus ponit. Primò, Quia posset anima mereri & accipere gratiæ augmentum, iam separata

An deleat per se culpam venialem. 56

57  
Quo momento confert martyrrium suum effectum. Sententia Caietani, dari in instanti vitæ terminatio.

Refutatur illa sententia. 58

rata à corpore. Secundò, Fieri posset vt ipsa toto tempore, quo vnita est corpori, fuerit in peccato, & caruerit fide, spe, charitate, & primo momento, quo definit esse in corpore, consequatur fidem, gratiam & remissionem; & immediatè post illud momentum videat Deum; vt patet in paruulis ante Baptismum pro Christo occisis. Tertio, Non omnes essent iudicandi secundum statum, quem habuerunt in corpore; quod non est contentaneum illi sententiæ Apostoli 1. ad Cor. 5. *quemque relaturum propria corporis prout gessit, sine bonum, sine malum.* nam id, quod ille in corpore gessit vel passus est, non est tale vt possit delere peccatum, aut efficere dignum vita æterna; nisi accedat aliquid post vnionem corporis, quod iam non est in ipso homine, sed in partibus eius, anima & corpore, nimirum priuatione vnionis.

58  
Rescriptio  
eiusdem  
responsio-  
nis.

Dices, Hanc ipsam priuationem tribui homini, quia illam in vita acceptauerit, & supplicia ad illam necessariò ducentia sustinuit.

Sed Primò, Hoc non habet locum in paruulis. Deinde si idè hoc dicitur gessisse in corpore, quia illud adhuc viuens acceptauerit: ergo acceptatio illa & passio quam sustinuit in vita, erat digna vita æterna & gratia, ante separationem animæ; ergo tunc data fuit gratia: Deus enim ne momento quidem temporis differt condignum præmium ad quod factis dispositi sumus.

Quartò, Quia iuxta hanc sententiam dabitur aliquod momentum in quo anima poterit consequi gratiam & remissionem peccatorum, non tamen peccare: & ita status merendi & demerendi non erunt pares. quæ omnia sunt parum contentanea Scripturis & sensui Ecclesiæ & SS. Patrum.

59  
Si momen-  
tum termi-  
nans sit in-  
trinsecum.

Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinsecum, ita vt homo desinat per vltimum sui esse: (quæ sententia non est improbabilis) sic valde probabiliter dici potest, martyrium conferre gratiam in illo instanti; quia idem instans est terminus intrinsecus martyrij, contentaneum autem est vt effectum suum conferat in termino, sicut Sacramenta, quæ non in termino extrinsecò, sed intrinsecò complentur, & gratiam conferunt. Si verò illud instans, quo vita terminatur, ponatur esse extrinsecum, ita vt homo desinat per primum non esse sui, sicut communior sententia habet, dicendum est gratiam conferri non in illo instanti; tum ob rationes dictas, tum quia illud instans non est intrinsecum passioni hominis & vitæ: sed vel in aliquo instanti, quod imperceptibiliter mortem antecedit, vel certe quando homo ex passione ita est constitutus, vt sine miraculo mors impediri nequeat. Ita docet Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 37. in fine; Suarez 3. p. disputat. 29. sect. 3. & passim recentiores. ratio est, quia tunc martyrium censetur consummatum: mors enim extat in causa proxima & necessaria.

Quando  
dicitur gra-  
tia.

Dices, Tunc adhuc, potest peccare, & consequenter damnari.

60  
An possit  
postea pec-  
care.

Respondeo, Moraliter non posse peccare, quia credibile est corpus ita esse perturbatum, vt non possit vti ratione, vel si potest vti, adest magna gratiæ copia, quæ illum custodiat, ita non vt peccet. Accedit, quod confecto iam panè certamine, & præsentè æterno præmio; vix aliquid possit occurrere, quod hominem ad peccandum moueat, quòd si miraculo curetur & superuiuat, ve-

risimile est singulari gratia custodiri, ne qui iam erat veluti in ianuis cæli, & præmium panè manibus tenebat, occasione miraculi excidat.

Idem probabile est de iustis à mortuis excitatis, alioquin si in eodem incerto versaturi essent, magnum incommodum ex illo beneficio reportarent: nec quisquam est, qui non summopere illud deprecaretur.

#### DUBITATIO VI.

*Quæ vitia opponantur fortitudini, & quale in his peccatum.*

D. Thomas quæst. 125. 126. 127.

Respondeo, Triâ censeri à D. Thoma, & Aristotele 3. Ethicorum cap. 7. *Timiditatem*, quam Aristoteles vocat *δευξια*, id est, ignatiam: *Intimiditatem*, quam ille *ἀποβια*, id est, timoris vacuitatem; & *Audaciam*.

*Timiditas* seu *ignauia* est vitium excedens in ignauia timendo; (timet enim quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquam oportet) & deficiens in audendo; vt rectè Aristoteles supra: non enim audeat aggredi quando ratio dicitur, aut sicut dicitur: & hac consideratione apud Latinos vocatur *ignauia*, priore verò *timiditas*.

Hoc vitium si in seipso sistat, nec ad alium prauum affectum vel consensum impellat, est solum peccatum veniale; sicut excessus aliarum passionum, qui nullam aliam noxam infert, nisi quòd mentem perturbet, & curis cogitationibusque inutilibus impleat. Si verò impellat ad alterius peccati consensum, erit peccatum mortiferum, vel veniale, pro conditione illius ad quod impellit: vt si timore mortis (id est, vt mortem, quam times, euadas) paratus sis aliquid facere vel omittere, cuius commissio vel omisio est peccatum mortiferum, erit peccatum mortiferum: si veniale, erit veniale. Et hoc est quod vult diuus Thomas art. 2. quæst. 125. Hunc timorem vetuit Dominus Math. 10. cum ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent quod faciant*

61

Quale pec-  
catum.

Notandum est, non omnem inordinatum timorem opponi virtuti speciali fortitudinis; sed eum tantum, qui est circa pericula mortis, vel grauium calamitatum: in his enim solis fortitudo versatur, vt supra dubit. 1. ostensum est; ac proinde etiam vitia fortitudini aduersa. Itaque alij timores mali ad alia vitia pertinent. sicut enim in omni virtute est inordinatus amor, & consequenter etiam inordinatus timor (omnis enim timor nascitur ex amore boni amati; & omnis amor parit timorem, si bonum amatum potest amitti, vt ex 1. 2. quæst. 25. art. 1. & 2. constat) ita in omni vitio habituali est inordinatus amor alicuius boni creati, & consequenter inordinatus timor. vnde intemperans timet amittere suas voluptates, avarus pecunias, ambitiosus honores: solus autem timor inordinatus amittendæ vitæ in periculis mortis aduersatur fortitudini.

62

Timor in-  
ordinatus  
aliorum  
malorum.

*Intimiditas*, vel potius vacuitas iusti timoris, est alterum vitium fortitudini oppositum; deficiens in timendo: non enim timet quando timendum, aut quæ timenda. Fortitudo enim non solum reprimit timorem, ne excedat, sed interdum etiam

63

Intimidi-  
tas.

exci-

excitat, ut malum declinetur; ut quando illud vires superat, nec est iusta ratio cur iustineatur. tale est terræmotus, fulmen, naufragium, vis hostilis longè superior. Denique omnia manifesta pericula mortis, quando deest causa subeundi. In huiusmodi ergo non timere, vitiosum est; quia est causa cur malum non declinetur: timere autem, laudabile, quia est causa declinandi. Huc pertinet securitas perniciofa eorum, qui se manifestis periculis mortis, cum in peccato mortifero sunt, exponunt, nec æternam mortem timent.

64  
Ex qua  
causa pro-  
ueniat.

Prouenit autem hoc vitium ex triplici causa. Primò, Ex eo quod vitam suam minoris faciat quam oportet: qui enim aliquid parui aestimat, non multum timet illud amittere, etiam si periculo sit expositum. sicut autem vitiosum est, pluris facere vitam quam oportet; (ut cum anteponitur virtuti) ita etiam vitiosum est, eam minoris facere quam oportet; ut cum vanæ gloriæ vel rerum temporalium causa manifesto periculo obiicitur; est enim bonis temporalibus longè præstantior: tum quia res temporales sunt propter vitam humanam, ad eam fouendam, solandam, ornandam: tum quia vita ista temporalis facultatem iustitiæ & meritum vitæ æternæ suppeditat.

Secundò, Ex superbia; hæc enim facit ut homo sibi præfidat, & alios contemnat, quasi ab illis lædi non possit; & ita non timet, iuxta illud Iob 41. *Factus est ut nullum timeat, omne sublime videt.*

Tertiò, Ex animi stoliditate: vnde Aristoteles 3. Ethic. cap. 7. ait *furiosos nihil timere*. sic quidam milites nihil timent; quia per vecordiam non concipiunt animo quid sit mors, & quæ mortem sequantur. Hoc vitium est peccatum mortale vel veniale, pro ratione mali & periculi, cui se defectu timoris exponit: si enim sit magnum malum, (v. g. mors) cui sine iusta causa se obiicit, erit peccatum mortale, nisi forte per stuporem animi excusetur. si autem malum sit paruum, vel periculum non sit notabile, erit veniale. vide Caictanum in Summa verb. Inimicitia. Hæc tamen timoris vacuitas non est distinctum peccatum ab eo, quo quis se periculo exponit: solum enim est peccatum quatenus est causa illius, continens tacitum

in illud periculum consensum. *Audacia* seu temeritas hic accipitur pro excessu in audendo, & aggreddiendi: cum quis ut malum imminens repellat, aggreditur aliquid quod non conuenit, vel quando non conuenit, vel quo modo non conuenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quæ est maxima dispositio ad temeritatem. plerumque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ, sicut & *actantia*, cui ut plurimum hoc vitium est connexum: nam audaces ferè sunt iactabundi, & volunt videri fortes, cum non sint. hinc fit ut plerique talium etiam sint timidi, quos Aristoteles *spaludæus* vocat, quasi dicas *audacitimidus*; quia audaciam cum timiditate coniunctam habent. *Inuito enim* (ut idem Aristoteles ait) *sunt præproperi, & ante quam res urgeat, adire pericula volunt; in ipsis autem periculis cedunt & abijstunt. at viri fortes, in factis ipsis sunt acres & ceteres, ante facta sedati & quæri.* Quando verò cupiditati vanæ gloriæ simul coniunctus est vitæ contemptus, vel stoliditas animi, mortem non apprehendentis, tunc se in pericula cæco quodam impetu proiciunt, & peristunt, etiam si parua sit spes victoria. hos Aristoteles vocat *perforandus*, id est, proiectæ audaciæ homines, qui mortis pericula lulum faciunt & iocum, & instar belluarum depugnant. hoc vitium est peccatum pro ratione mali & periculi cui se exponunt, sicut dictum est de timoris vacuitate.

Circa prædicta Aduerte, etiam solum tria vitia *fortitudinis* opposita numerentur, reuera tamen esse quatuor: sicut enim fortitudo moderatur timorem, ita etiam audaciam. vnde sicuti peccatur contra fortitudinem excessu & defectu timoris, ita etiam excessu & defectu audendi. Verum defectus audendi continetur sub *timiditate*, qua parte hæc consistit in eo, quod quis refugit aggredi quando oportet: & vocatur propriè *ignavia*, sed sicut inter timoris *vacuitatem* & *temeritatem* est magna affinitas, ita etiam inter *excessum timendi* & *defectum audendi*. Hinc apud Aristotelem eodem nomine continentur: vtrumque enim *δύλας* vocat. Latini habent nomina distincta; illud vocant *Timiditatem*, hoc *Ignauitatem*.

## CAPVT SECVNDVM.

### De Virtutibus fortitudini connexis, & vitiis oppositis.

Constat 6. Dubitationibus.

#### DVBITATIO PRIMA.

Quæ sint partes fortitudinis.

D. Thomas quest. 128.

1  
Subiectiua  
partes.

**N**

OTANDVM ex D. Thoma, virtuti triplices partes assignari posse, subiectiuas, integrantes, & potentiales. *Subiectiuas* fortitudo propriè, iuxta D. Thomam, non habet; quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt eiusdem generis, etiam alia alii maiora. Hoc tamen intellige de fortitudine vnius ordi-

nis: nam si diuersos virtutum ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus, alia enim est *Fortitudo ordinis naturalis*, qualis esse potest sine fide; hæc timorem mortis temperat, pericula & acerbitates sustinet, hac tantum consideratione, quia decet hominem ratione præditum, vel Philosophia præceptis imbutum, vel illustri familia clarisque maioribus ortum.

Alia *supernaturalis*, quæ fidem & affectum su-

Superna-  
turalis.

pernaturalem supponit, & prudentia supernaturali vt regula vitur. Hæc eadem sustinet, quia decet Christianum, crucis Christi cultore, immortalitatis candidatum, &c. Et si enim istæ fortitudines circa eadem pericula & circa easdem passiones moderandas, ac proinde circa eadem obiecta versentur; tamen non eandem prorsus rationem formalem in illis spectant. vnde nec ob eandem causam ad suas functiones mouentur, sed ob diuersam, & affectibus planè diuersis. qua ratione etiam in fortitudine naturali discrimen specificum fortasse inuenire possit.

**2** *Partes integrantes* vocat, non ex quibus ipse habitus intrinsecè coalescat, sed quæ necessariae ad integrum fortitudinis officium.

*Potentiales* verò, quæ virtutem fortitudinis in materia minùs difficili imitantur. Porrò huiusmodi partes quatuor numerantur à D. Augustino l. 8. q. q. 31. ex Cicerone: *Fortitudo*, inquit, est *considerata periculorum susceptio, & laborum permissio, cuius partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia*; quod D. Thomas optimè declarat q. 128. art. vnicò in corp. & ad 5.

*Esse quas partes fortitudinis.*

Officium enim fortitudinis in duobus situm est; in *aggrediendo* & in *sustinendo*. Ad *aggrediendum* autem dgo requiruntur. Primò, Promptitudo animi ad periculum suscipiendum: hanc præstat *fidentia*; qui enim confidit se malum imminens superaturum, facillè periculum suscipit. Secundò, Strenuitas in executione; hanc tribuit *magnificentia*, quæ, teste D. Augustino ex Cicerone, est rerum *magnarum & excelzarum*, cum animi *ampla quadam & splendida propositione, cogitatio & administratio*. Itaque hæc duæ virtutes, quatenus versantur in periculis mortis, sunt partes integrantes fortitudinis, concurrentes ad actum aggressionis.

Similiter ad sustinendum, qui est alter fortitudinis actus, duo requiruntur. Primum est, Ne animus difficultate & asperitate malorum frangatur. ad hoc valet *patientia*, quæ tristitias & dolores moderatur; animusque continet ne hisce passionibus victus, à recto & decore decidat.

Alterum est, Ne diurnitate malorum fatiscens, cæpta bona abrumpat & desinat; & ad hoc est *perseuerantia*: quo nomine hic intelligimus non eam, quæ est iustitia vtque ad finem continuatio, sed propositum durantibus malis in cæpto perseverandi.

**3** *Quo modo sint integrantes.* Ex his patet, qua ratione hæc quatuor virtutes dicantur partes integrantes fortitudinis; nimirum si considerentur vt versantur in propria fortitudinis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad integrum illius officium concurrunt, suntque veluti quædam illius membra.

*Quo modo potentiales.* Si verò spectentur in aliis quibusdam materiis minùs difficilibus, dicentur partes fortitudinis *potentiales*, quia fortitudinem imitantur, licet eius perfectionem non assequantur. vide suprà c. 46. dub. 1. Sic *fidentia* est virtus, quæ in aliis rebus difficilibus extra pericula mortis, promptum animum præstat; *magnificentia*, quæ talia splendide exequitur; *patientia*, quæ tales difficultates tolerat; *perseuerantia*, quæ in finem in illis perdurat.

**4** *Reducuntur ad supra dicta.* Notandum est Primò, Prædictis partibus fortitudinis tres alias adici à Macrobio lib. 1. in somnium Scipionis; *magnanimitatem, securitatem, & constantiam*. Verùm magnanimitas & securitas

sub *fidentia* possunt comprehendi; *fidentia* enim continet credulitatem mali superandi vel boni consequendi, & spem conficiendi. vtrumque parit *magnanimitas*: facit enim, vt id quod arduum est, videatur confici posse, & simul eius desiderium iniicit.

*Securitas* est perfectio quædam *fidentia*; excludens timorem & anxiam curam. tunc enim securus est animus, quando ita confidit, vt non amplius timeat vinci à malo, vel excidere à bono; item quando malum est superatum.

*Constantia ad perseverantiam pertinet*, quid enim est aliud *perseuerantia* quàm *constantia* vtque in finem? Eodem pertinet *longanimitas*, quæ ob mali diurnitatem non finit animum à recto desciscere.

Notandum Secundò, Non omnes prædictas partes esse virtutes distinctas, sed satis esse vt sint actus distincti: eiusdem enim habitus est, præbere se magnanimum & confidentem in periculis, & securum absque anxietate. Item eiusdem virtutis est, efficere patientem, constantem, longanimem & perseverantem.

*Non sunt omnes distincti habitus.*

Cetera vide apud D. Thomam in Respons. ad 6. vbi corruptè in multis exemplaribus legitur *lenia pro lenia*, Græcè *ληνία*; quod non patientiam aut tolerantiam, sed animi confidentiam & promptam audaciam significat. Plerumque accipitur in bonum; aliquando etiam in malum, vt ex Græcis Auctoribus constat. hinc *ληνίας* vir strenuus & animo confidenti, quod est virtutis; vel etiam præfidentii, quod est vitij.

## DVBITATIO II.

*Quid sit magnanimitas, & qui eius actus.*

*Diuus Thomas quæst. 129.*

**M**agnanimitas, seu magnitudo animi, Græcè *μεγαλοψυχία*, est virtus ad opera magna & heroica in omni virtutū genere inclinans. Magnus enim dicitur animus, qui ad magna adspirat, eaq; sola æstimat & cogitat, parua negligit vel despicit. ex affectu enim & studio rerum magnarum vel paruarum, animus magnus vel paruus dicitur. nihil autem verè magnum in rebus humanis, præter virtutem, quæ sola est hominis bonum, & ornamentum quæ homo est, animum perficiens, & æternum permanens, æternamque vitam concilians: cetera omnia, vt diuitiæ, voluptates, honores huius mundi, parui sunt momenti, vt pore ad vitam istam corporalem dumtaxat & temporalem pertinentia. Et quamuis omnia virtutum opera ad res temporales collata magna sint bona; tamen non omnia in suo genere sunt magna vel ardua; sunt enim *minora & maiora, facilia & difficilia*. propriè autem dicuntur *magna*, quæ in singulis virtutum generibus magna seu ardua censentur, magnoque honore sunt digna; vt sunt magna abstinentiæ, magna vitæ austeritas, magni labores pro salute animarum, eximia patientia in magnis calamitatibus, eximium orationis studium, &c. Itaque virtus illa, quæ magnitudo animi dicitur, ad hæc inclinat.

*Quid magnanimitas.*

*Quid verè magnum.*

Nec obstat, quod omnis virtus, si perfecta sit, ad opera magna sui generis incitet; (magna enim virtus abstinentiæ, ad magna ieiunia; magna religio,

O o o religio,



religio, ad magna in Deum pietatis officia impellit) quia aliam rationem formalem, seu aliud motuum intrinsecum alia virtutes in suis obiectis spectant, aliud magnitudo animi. hæc enim inclinatur ad opera magna virtutum, non quia in illis elucet honestas peculiaris illius vel illius virtutis, v. g. bonum abstinentiæ, vel Religionis; sed quia magna sunt & ardua; id est, quia consentanea animo magno & generoso, magnis gratiæ præstidiis adiuto, magna rerum cælestium cognitione instructo, magnis præmiis illecto, magnis exemplis prouocato. qui enim hæc perpendit, facile videt, magna virtutum officia sibi congruere, & decorum esse non nisi magna cogitare, æstimare, affectare, moliri. Itaque esse *magnum* seu *arduum*

Quomodo hæc virtus inclinatur ad magna opera virtutum.

Ratio formalis obiectiua huius virtutis.

Quo modo alia virtutes inclinatur ad magna.

8 Distinguitur specie ab aliis.

9 Obiectio.

Respon. Quo modo versatur in magnis honoribus.

est ratio formalis obiectiua huius virtutis, ob quam ad illa inclinatur, & quam in illis efficere & veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquæ verò virtutes, si perfectæ sint, seu in gradu heroico, inclinantur ad opera magna sui generis; non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quæ honestas in magnis operibus est illustrior. Itaque magnitudo operum non se habet tamquam motuum principale seu formale illarum virtutum, sed vt circumstantia obiecti, ratione cuius honestas obiecti magis elucet; & vt circumstantia operis, in executione respondens circumstantiæ quæ est in causa. sicut enim magna virtus iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magna opera sui generis.

Hinc patet, virtutem hanc, etsi ad opera illustriora aliarum virtutum inclinatur, tamen ab illis distingui specie, & esse virtutem specialem: habet enim distinctum obiectum formale, à quo suam speciem accipit: & illa opera solum se habent instar materiæ, cui suam formam inferat, quæ est, esse magnum & arduum.

Hanc doctrinam expressè tradit Caietan. q. 129. art. 1. & 4. & est D. Thomæ ibidem. sed clariùs in 3. caput lib. 4. Ethicorum, exponens illa verba Aristotelis, *Etiã viri magnanimi esse videatur quod in quaque virtute magnum est*; vbi dicit: *Per hoc magnitudo est specialis virtus distincta ab aliis, quia tendit ad rationem magni in cuiuslibet virtutis opere, v. g. fortitudo intendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo, & sic de aliis. Idem docet q. 134. a. 1. ad 2. Eadem est mens Aristotelis in verbis allatis; & infra cum ait, *Videtur animi magnitudo quasi quoddam virtutum omnium ornamentum; nam & maiores eas amplioresequæ facit, & sine illis constare nullo modo potest.**

Dices, Aristoteles capite illo 3. & D. Thomas q. 129. art. 2. 3. & 4. docent magnanimitatem versari circa magnos honores, ideoque esse virtutem specialem: ergo non extendit se ad actus eximios aliarum virtutum.

Respondeo negando consequentiam: aliter enim versatur circa honores, aliter circa actus virtutum. Circa honores enim versatur, non quidem eos propter se expetendo; (hoc enim laudabile non esset) sed tamquam circa materiam remotam; moderando appetitum honorum, vt eis rectè vtamur, nec pluris, quàm par est æstimemus: sicut liberalitas versatur circa diuitias, & fortitudo circa pericula mortis. circa verò actus virtutum versatur tamquam circa obiectum materiale, seu

materiam propinquam, magnitudinem & excellentiam quamdam in illis appetendo, procurando & efficiendo. Sicut enim fortitudo moderatur timorem & audaciam in periculis, vt fortiter agat; & liberalitas amorem pecuniæ, vt ea rectè vt possit, & facile donare vbi ratio dicitur: ita magnitudo animi temperat appetitum magnorum honorum, vt opera magna sincero affectu desinet; ne vel si honor ablit, desistat; vel si adfit, eius affectu potissimum moueatur. qui enim magna præstare in aliquo virtutum genere student, potissimum infestantur appetitui honoris, qui illustria facta comitari solet, & vehementer affectum ad se trahit; itaque eget moderatione, quam efficit hæc virtus. eiusdem enim virtutis est bonum opus operari, & intrinseca eius impedimenta, quæ ratione materiæ proueniunt, tollere: tale autem impedimentum est honoris immodicus appetitus. neque solum in honoribus moderationem animi parit hæc virtus, sed etiam in contumelias & omni fortuna conditione, vt Aristoteles loco citato docet: *Maximè, inquit, in honoribus & fortuna versatur vir magnanimus. verum tamen in diuitiis quoque & principatu, in omni denique secunda & aduersa fortuna quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit: neque in rebus secundis lætitia effertur, neque in aduersis morore contrahetur, nam ne in honorem quidem sic animatus est, qui tamen quàm maxima res est.*

Ex his perspicuum est Primò, Quodnam huius virtutis sit officium: principale enim munus eius, quod ipsa potissimum intendit, est opera magna, seu quæ magno honore sint digna efficere, non propter honorem huius mundi (non enim est vera virtus, quæ honorem humanum sibi propositum habet, vt docet D. Augustinus libro 5. de Ciuit. cap. 12. quia est res caduca, fragilis, fallax, bonis & malis communis) sed propter ipsorum operum excellentiam, ratione cuius honore sunt digna.

Secundum munus eius est, appetitum honorum moderari, ita vt eos neque multum appetat, neque plus quàm par est refugiat: si deferantur, iis non extolli, non exultare lætitia, sed moderatè se gere. vnde Aristoteles ait: *Magnis honoribus & us quis à viris bonis deseritur modice delectabitur, tamquam sibi accommodatis: qui autem à vulgo & ob res paruas tribuentur, prorsus contemnet.*

Tertium, In omni prospera & aduersa fortuna moderatè agere. cum enim nihil magni æstimet, nisi quod verè magnum est, fit vt omnia temporalia parui pendat, ac proinde non multum curet illorum secundos vel contrarios successus.

Quamuis autem magnanimus honorem huius mundi parui æstimet, neque propter illum opereatur; maximi tamen facit honorem cælestem, vt apud Deum & Angelos magnus habeatur & sit. hic enim honor est pars nostræ felicitatis, & præmium virtutis; & inter bona nostra externa maximum. Itaque propter illum honestè operari potest, & ad ardua virtutum coniti: vnde 2. Corinth. 10. dicitur: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* & Ioannis 5. vers. 38. aperte indicatur, *gloriam, quæ à solo Deo est, esse querendam.*

Patet secundò, Hanc virtutem maximè reperiri in iis, qui spreis omnibus quæ in mundo sunt, Christi

Etiã in cæmelis & fortuna aduersa.

10 Officium magnanimi.

11 Quomodo honor possit magnanimus querere.

12 Quibus insit hæc virtus.

Christi consilia sunt secuti, & ad eius imitationem vitam componunt. magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est; in contemptu earum rerum quae maximi vulgè aestimantur & queuntur, vt sunt diuitiae, voluptates, & honores; & in conatu nisi quae ad ea quae sunt maximè ardua & honore caelesti digna; vt sunt consilia Domini, perfectio vitae Christianae.

**13**  
Fidentia  
& securitas.  
Patet Tertio, Ad hanc virtutem pertinere *fidentiam* & *securitatem*. *Fidentiam* quidem, quia non potest quis ardua generosè aggredi, nisi multum confidat se posse conficere. Deinde *fidentia* oritur ex eo quòd quis aduertat sibi suppetere vires & auxilia ad res arduas peragendas, & quòd earum perficiendarum desiderio teneatur; quorum vtrumque est in hac virtute. *Securitatem* vero, quia qui res humanas non multum curat, & solis aeternis est intentus, ad quas satis opis & praesidij à Deo se habere sentit; multis curis est solutus, & magna animi securitate fruatur. magna quoque confidentia securitatem parit.

**14**  
Mores magnanimi.  
Vt meliùs huius virtutis indoles intelligatur, Notandum est, ab Aristotele assignari viginti mores seu conditiones viri magnanimi, quae nobis breuiter explicanda: sunt enim notae quaedam eximiae huius virtutis, meritiò vitæ & moribus exprimentae.

Prima, *Dignum se magno honore existimare*, intellige, inspectato officio quod gerit, vel donis Dei quibus est ornatus. Cum hoc tamen stare potest vt sit humillimus coram Deo, dum considerat se ex seipso nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; sine Deo in profundum malorum, imò in nihilum ruere, &c. Sic Sancti in caelis & humillimi sunt, & tamen ab hominibus coli volunt, diuersa sui consideratione.

Secunda, *Modicè honoribus etiam magnis, & à bonis viris oblati delectari, à vulgo & ob res paruas delatos contemnere*.

Tertia, *In prosperis & aduersis moderatum se praeberere*.

Quarta, *Non offerre se casibus parvorum periculorum, nec amare pericula, eo quòd pauca res magni faciat, magnis tamen, vbi de rebus praclaris agitur, se exponere, & tunc vitæ non parcere*. Aristoteles tribus verbis: *Ὁὐκ ἔστι δὲ μικροῦ καὶ εὐδαιμονίας, ἀλλὰ καὶ μεγάλων καὶ κατὰ φύσιν δέ.*

Quinta, *Acceptum beneficium maiore beneficio compensare*. vnde fit, vt non multum meminerit beneficiorum acceptorum, quia maioribus illa beneficii obruit. quod intellige de beneficiis humanis & vulgaribus, quae ipse facilè potest vincere.

Sexta, *Neminem aut vix quemquam rogare*. vel enim parua sunt quae ab aliis potest accipere; & ita non curat: vel certè sua industria potest consequi; & sic non vult ab alio pendere, nec alteri molestus esse.

Septima, *Libenter alteri operâ dare atque inservire*: hoc enim est perfectionis & ætatis signum.

Octava, *Cum viris Principibus & opulentis praestare se magnum & excelsum*; nimirum illis non adulando, nec sinendo suam libertatem opprimi eorum auctoritate. cum mediocribus & infimis modestum ac moderatum. sic enim Deum quodam modo imitatur, qui humilia respicit.

Nona, *Non se locis aut functionibus honoratioribus ingerere*: hoc enim potius ambitiosi, quam magnanimi.

Decima, *Cunctari & quietem agere, nisi res magna sit proposita*; quia parua non moratur; vnde fit vt pauca faciat, sed magna.

Vndecima, *Aperitè odisse, & aperitè amare*; puta quae odio vel amore digna: Gracè est, *ἀγαθὰ φανερόν, καὶ κακὰ κρυφόν, quia timentis est fronte occultare sententiam*.

Duodecima, *Aperitè omnia dicere & agere*: intellige, intra limites prudentiae. Addit Aristoteles: *Amat enim orationis libertatem, quia ad alios contemnendos est propensus*. id est, Cum res humanas parui faciat, facilè ita se gerit, vt etiam alios parui pendere videatur. quod intellige, quando de veritate vel iustitia agitur. exempla habemus in martyribus, & aliis viris sanctissimis.

Decimatertia, *Vt dissimulatione in vulgus*: non enim sua patefacit omnibus, sed tegit; non enim quarit vulgi laudes.

Decimaquarta, *Non posse alterius nutu vivere, nisi amici*: seruire enim id est, nec sine assentatione fieri potest; à qua ille longissimè abest. quòd si amici nutu vivere potest, multò magis nutu Superioris, qui & maximè est amicus; (cum omne bonum subito ex sincera benevolentia velit ac procuret) & loco Dei praesidet. vnde patet, religiosam obedientiam cum magnanimitate non pugnare, sed ei consentaneam esse.

Decimaquinta, *Non facile admirari*: nihil enim ei magnum est, inquit Aristoteles, puta in rebus humanis.

Decimasexta, *Non meminisse iniuriarum*: viri enim magnanimi non est, ait idem, memorem esse, praesertim iniuriarum & malorum, sed ea potius pro nihilo putare. Itaque viles animæ sunt, Aristotelis sententiâ, qui iniurias priuatas sine fine persequuntur. quo modo enim non viles, quorum status & dignitas omnis vno verbo labefactatur, nec nisi eo vindicato, constare potest: quanto generosius est, statum suum extra fortunæ aleam repositum ducere; nec se à quoquam nisi à seipso lædi posse: Multum igitur errat vulgus, qui illos generosos & magnanimos putat.

Decimaseptima, *Non cupido loqui de hominibus*; quia neque vt laudetur sollicitus est, nec vt alij vituperentur, nec aliorum laudator est, nec maledicus, ne in inimicos quidem, nisi accepta contumelia. vbi Aristoteles permittit illis pendere *κακογλωσσίαν*, id est, probum seu conuitium, acceptâ contumeliâ ab inimico: tunc enim non videtur esse contra virtutem, si moderatè & absque scandalo fiat, vt sic contumelia repellatur. plerumque tamen melius est dissimulare, ne videamur reddere malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, contra præceptum Apostoli, & Domini nostri: idque maioris animi est signum. *Leo ad latratus canum vix lentus respicit*.

Decimoctaua, *In rebus, quae necessario perfe-randa, vel quae exiguae sunt, non esse queribundum aut supplicem*: quia est animi nimium rebus humanis addicti.

Decimanona, *Malle possidere res honestas quam fructuosas, hoc enim magis proprium est hominis seipso contenti*.

Vigesima, *Habere motum tardum, vocem grauem, orationem stabilem ac sedatam*: quia festinare non solet, qui paucis rebus studet; nec vehementer contendere, cui nihil magnum esse videtur. Ita Aristoteles.

## DVBITATIO III.

Quæ vitia magnanimitati aduersentur.

D. Thomas quæst. 130. & 131.

18

Opponuntur magnanimitati tria vitia per excellum, *presumptio, ambitio, & inanis gloria.* *Presumptio* respicit propriè opus aliquod, *Ambitio* honorem, *Inanis gloria* opinionem & famam. Vnum per defectum, *Puffillanimitas*; quæ tamen illis tribus respondet.

*Presumptio quid sit.*

*Presumptio*, quam etiã *presidentiam* Latini vocant, est nimia suarum virium confidentia, qua fit vt quis aggrediatur aliquid, vel paratus sit aggredi, quod est supra ipsius vires. *Vires ipsius* intellige quas vel in seipso, vel in aliis paratas habet. quod enim per amicos possumus, nos ipsi posse dicimur. consistunt autem vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infusa aut acquisita, vel in arte aliqua, vel in gratia gratis data, vel in potestate Ordinis, vel in potestate iurisdictionis: nam ratione horum omnium si quis aliquid supra suam facultatem tentet, erit vitium presumptionis; vt patet ex Caietano v. *Presumptio*, in Summa.

19

*Supponit falsam opinionem.*

Hoc vitium in intellectu supponit opinionem falsam de suis viribus, ex culpabili ignorantia vel inconsideratione ortam: si enim hæc non esset culpabilis, neque opinio inde nascens, neque affectus voluntatis consequens culpabilis esset; vt cum quis bona fide ignorans rei conditionem, aliquid supra suam facultatem tentat. In voluntate verò requirit affectum vel absolute exequendi tale opus: vel sub conditione, si nimirum res ad se pertineret, si tempus & locus posceret, &c.

*In quibus hoc vitium.*

Hoc modo presumptuosi & presidentes censebuntur hæretici, qui Scripturas audent exponere non prævio longo studio, vel sanctorum Patrum lectione: qui tentant miracula vel futurorum prædictionem, absque dono miraculorum vel prophetiæ: qui solis naturæ viribus putant se posse benè viuere & legem implere. Item qui absq; debita peritia suscipiunt officium Medici, Aduocati, Parochi, Confessoris, &c. qui vsurpant sibi potestatem, quam non habent, vel maiorem quam habent; vt si diaconus vellet offerre sacrificium, absolvere, baptizare coram sacerdote; si Iudex secularis cognoscere de causis ecclesiasticis.

*esse peccatum.*

Hoc autem peccatum esse probat D. Thomas, quia per illud violatur lex naturæ, orta ex lege æterna, quam omnes res naturales tenent: hæc enim omnes ex diuina ordinatione hanc seruant legem, vt nihil conentur supra suam facultatem, sed solum inclinent ad opera viribus suis commensata: præsumptio verò impellit ad id quod est supra facultatem.

20

Est peccatum mortiferum, quando fit cum periculo vel iniuria alterius, sicut præsumptio Medici, Iudicis, Confessoris: vel quando prouenit ex errore contra fidem, sicut præsumptio hæreticorum in multis actibus. extra tales euentus ferè est peccatum veniale. Ita Caietanus supra.

*Presumptio misericordis.*

*Presumptio de misericordia Dei*, (quæ dicitur peccatum in Spiritu sanctum) qua quis non curat diuinam iusticiam, confidens Deum ipsi præstiturum veniam, etiam si non si sollicitus de conuersione vitæ, potius opponitur spei quam magnani-

mitati; excedit enim modum in sperando, indebitè confidens de diuina bonitate, non de sua virtute; sicut desperatio deficit, non satis de ea confidens. nisi fortè hæc præsumptio proueniat quod sibi tale Dei beneficium deberi putet; tunc enim immediate præsumit & prædit de sua virtute, per eam volens consequi id, quod longè illam superat; & sic erit contra magnanimitatem.

*Ambitio* est inordinatus appetitus honoris: *honor* autem est testimonium excellentiæ; quod multis modis deferri potest, vt detectione capitis, inclinatione corporis, genuflexione, concessione loci honoratoris, erectione statuæ, delatione officij, magistratus, principatus, &c. vt dictum est supra cap. 36. dub. 3. hos omnes modos respicit ambitio; qui enim aliquid horum sibi inordinate appetit deferri, est ambitiosus.

Porro honor tripliciter inordinate potest appeti. Primò, si appetas honorem ob rem quæ tibi non conuenit, vel notabiliter maiorem quam par sit, vt si quis velit honorari ob gradum vel doctrinam, quam non habet: si laicus velit præcedere sacerdotem aut Episcopum: si adpires ad officium honorabile, quo es indignus; aut velis præferri multò dignioribus; si ratione diuitiarum velis tibi magnum honorem haberi. Secundo, si quaras honorem ex re quæ tibi conuenit, sed illicita, v.g. ex rebellionem, quod audeas resistere tuo Principi; ex arte magica, &c. Tertio, si ita ames honorem, vt paratus sis Deum offendere causâ illius acquirendi vel conseruandi: vt si Episcopatum compares per simoniam, Principatum per bella iniuria: si vt officium retineas, iniquum præstes iniuriandum, &c.

In primo est peccatum veniale tantum, nisi appetatur cum iniuria alterius. In secundo est peccatum mortale vel veniale, pro ratione materiæ ex qua honorem caprat. In tertio similiter, pro ratione mediocum quibus vitur vel paratus est vt.

Reprehenditur hoc vitium à Domino, Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, &c. & Ecclesiastici 7. Noli querere ab homine ducatum, nec à Rege cathedram honoris.*

Oritur hoc vitium ex superbia. sicut enim superbia est inordinatus appetitus excellentiæ; ita ambitio est inordinatus appetitus honoris, qui est testimonium excellentiæ; vnde omnes ambitiosi sunt superbi, & omnes superbi ambitiosi. habet enim se ad superbiam vt propria passio, vel vt effectus adæquatus.

Si autem honor appetatur moderatè ex re bona, nullum erit peccatum, etiam si nullus alius finis spectetur; vt colligitur ex D. Thoma q. 132. art. 1. ad 3. quia per se est obiectum indifferens, proxime accedens ad rationem honesti, cum sit testimonium & imago quædam virtutis.

*Inanis gloria*, quam Græci *xyrodoçian* vocant, hoc loco accipitur pro vanæ gloriæ cupiditate: alio loco qui propriè ipsa non est peccatum, sed peccati obiectum, in alio existens. *Gloria est clara cum laude notitia*, inquit Cicero: puta de excellentia alicuius. Itaque complectitur opinionem & laudem, & consequenter famam, quia bona fama in laude consistit: supponit autem excellentiã aliquam veram his dignam, tamquã materiam & obiectum opi-

opinionis & fame. vnde pater, gloriam ab honore distingui, & consequenter ambitionem à cenodoxia seu vanæ gloriæ cupiditate. Gloria enim in notitia excellentiæ alterius, & laude, quæ verbis agitur, sita est. Honor verò in dignitatibus, magistratibus, & aliis testimoniis excellentiæ, quæ signis exhibentur, quando tamen vana gloria statuitur vitium capitale, etiam ambitio hoc nomine intelligenda est.

Potest autem gloria tripliciter esse vana in proposito. Primò, Si de simulata excellentia queratur opinio vel fama; sicut faciunt hypocritæ, & omnes qui se fingunt peritos alicuius discipline cum non sint. Secundò, Si maior queratur quam par sit, aut de rebus aliis indignis; sicut faciunt iactabundi, & omnes qui de opibus & rebus friuolis gloriantur. Tertiò, Si apud eos qui de rebus non possunt rectè iudicare: sicut si quis coram imperitis disputaret, vt sapiens ab eis habeatur: nisi fortè id ad vltiorem finem honestum referret.

24  
Quale peccatum sit.

Erit autem hæc cupiditas peccatum mortale, Primò, Si hæc vana gloria appetatur ex facto, quod est peccatum mortiferum; vt de magia, de adulterio, de duello, de homicidio; nam talis gloriatio includit facti approbationem. si tamen non de ipso facto, sed de robore corporis, audacia, ingenio, quæ tali facto patefiunt, gloria quereretur, non esset per se peccatum mortale; quia cum eo stare potest facti prauis detestatio. Secundò, Si ob illam acquirendam vel retinendam negligat ea quæ ad salutem sunt necessaria; vel aliter paratus sit mortiferè peccare: quales erant multi ex primoribus Iudæorum, de quibus Ioannis 12. dicitur, *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* & Ioannis 5. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non queritis?* Extra hos casus solum est veniale, vt docet Caietanus verb. Gloriæ humane appetitus: nam per se veniale est; neque fit mortale, nisi ratione alterius peccati, quod interdum in affectu vanæ gloriæ inuoluitur.

25  
Est vitium capitale.

Numeratur *vana gloria* inter vitia principalia seu capitalia, à D. Gregorio libro 31. Moralium c. 31. quem sequitur D. Thomas q. 132. ar. 4. & 5. & ceteri Doctores; quia *vitium capitale* dicitur, ex quo tamquam radice virulenta, multa alia vitia veluti propaggines venenatæ nascuntur. Talia sunt quæ versantur circa obiectum valdè appetibile, cuius causa plerique mortalium parati sunt multa mala facere & pari; vt circa gloriam, (sub qua etiam famam & honorem intellige) diuitias, voluptates gustus, voluptates tactus. hinc vitia capitalia sunt *cupiditas vana gloria, auaritia, gula, & luxuria.* Item quæ versantur circa obiectum valdè molestum, saltem in imaginatione, cuius mali pelendi, vel molestiæ solandæ causâ, etiam multa mala facere solent, vt sunt *invidia, ira, & tristitia.*

26  
Septem filia vana gloria.

Sicigitur vanæ gloriæ cupiditas est vitium capitale; ex qua nascuntur hæc septem filie, iuxta D. Gregorium, *inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & nominatim præsumptiones.* Ratio est, quia *vana gloria* consistit in manifestatione suæ excellentiæ, siue veræ, siue fictæ. Dupliciter autem excellentiam tuam inordinatè patefacere potes. Primò, *Directè*, idque vel per verba; & sic est *iactantia*; vel per facta: quæ si vera sint, & aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio nominatum*; (has enim solent homi-

nes magis admirari) si falsa sint, erit *hypocrisis*. Secundò, *Indirectè*, quatenus videlicet vis ostendere te non esse altero minorem, idque quadrupliciter. Primò, Ratione intellectus; quod fit *per tinacia*, qua quis nimis inhæret suæ sententiæ, nolens cedere meliori. Secundò, Ratione voluntatis; quod fit *discordia*, qua quis non vult alteri consentire. Tertiò, Quoad verba; sicque est *contentio*. Quartò, Quoad facta; dum quis non vult exequi præceptum Superioris, ne videatur minor, quod fit per *inobedientiam*. vide D. Thomam art. 5. q. 132.

Quod autem hæc tria vitia magnanimitati aduersentur, perspicuum est ex dictis. *Magnanimitas* enim versatur circa tria. Primò & principaliter circa magnum opus, ad quod iuxta mensuram suarum virium tendit. hæc ratione aduersatur ei *præsumptio*, quæ ad idem supra vires tendit. Secundò, Versatur circa honorem, tamquam materiam, cuius appetitum moderatur; sic opponitur ei *ambitio*, quæ immodicè in honorem tendit. Tertiò, Circa gloriam, laudem & famam, quorum etiam moderatur affectum; hæc enim ad eandem virtutem, ad quam honor, pertinent. sic opponitur ei *cupiditas vana gloria*, quæ ex quibusuis rebus, etiam ex mustaceo, & apud quosuis gloriolam captat. Aristoteles non expressit distinctè omnia vitia, quæ magnitudini per excessum opponuntur, sed solum vnum, quod ille *χαυρότητα* vocat, quo is, qui est indignus, seipsum dignum magnis honoribus æstimat, splendoreque vestium & opum ostentatione honores vbique captat. hos vocat *χαυρους*, quasi dicat, *laxos aut tumidos*, vel *αυδης τας τιμας ηε χαυροτες*, honoribus inhiantes; *χαυρον* enim à *χαλιειν* haurere, ductum. eosdem dicit esse stolidos, & seipfos ignorare.

*Pusillanimitas*, quam Aristoteles *μειροψυχια* vocat, est alterum extremum magnanimitati directè oppositum. hoc vitium supponit apprehensionem, qua quis omnia tamquam nimis magna, & suam facultatem vel dignitatem excedentia concipit: vnde fit vt diffidens viribus suis refugiat officia ad quæ probè est idoneus, & detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ facile alioquin possent præstare. Si vocetur à Deo ad Religionem, imaginatur rem esse nimis grauem, tristem, intolerabilem; nec audeat capeffere. Rursus considerans suam conditionem, putat se indignum honore qui defertur, (quasi honor sit magnum quiddam) nec vult illum admittere, etiam si recta ratio aliud postulet; seque nimium abiicit, non habita ratione officij vel gradus, in quo est constitutus. Eodem modo se habet etiam ad gloriam, laudem, & famam; etsi his verè sit dignus. vnde perspicuum est, hoc vitium respondere in altero extremo tribus illis vitiis explicatis, præsumptioni, ambitioni, & vanæ gloriæ. vt enim nimium refugit opera & officia suis viribus commensa, repugnat præsumptioni: vt nimis honorem, ambitioni; vt veram gloriam & famam, vanæ gloriæ.

Hoc vitium est peccatum mortale, si id, quod detrectat, tale sit, vt ad illud suscipiendum sub peccato mortifero teneatur. si autem solum teneatur sub veniali, erit veniale. Idem dicendum etiam res sit consilij tantum; nam etsi non tenearis amplecti, tamen ex pusillanimitate animi

27  
Aduersatur magnanimitati tria prædicta vitia.

28  
Pusillanimitas.

29  
Quale peccatum.

refugere, quasi vires, quas Deus tibi dedit vel paratus est dare, superet, malum est.

Contra pusillanimitatem.

Aduersus pusillanimitatem facit consideratio diuini auxilij, quod in iis, quæ ad salutem aut uocationem nostram pertinent, nobis præstò est, exempla Sanctorum, magnitudo præmiorum, & alia quæ fiduciam augent.

### DUBITATIO IV.

Quid magnificencia, & quod vitium ei aduersetur.

D. Thomas quæst. 134. 135.

30  
Dupl. accipitur.  
1. Generatim.

**N**omen Magnificencia dupliciter accipi potest, vt colligitur ex D. Thoma q. 134. art. 1. Primò in genere, pro quauis virtute, quæ facit res magnas; siue illæ sint actiones, quas Græci *μεγαλῆτες* vocant; siue res effectæ, quæ *μεγαλῆ* facere enim aliquando generatim sumitur, vt actiones & effectiones comprehendat. Hoc modo magnificencia non est virtus specialis, & conuenit etiam Deo & Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis, gubernationis, sanctificationis, glorificationis. hæc enim valde magna sunt, & horum ratione Scriptura tribuit Deo & Christo magnificenciam, 1. Paral. 19. Psal. 8. 110. 144. & alibi.

31  
2. Speciatim.

Secundò, Pro virtute humana, quæ magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit. hoc modo est peculiaris virtus, quam explicat hic D. Thomas, & Aristoteles l. 4. Ethicorum c. 2. eamque vocat *μεγαλοπρεπεία*, q. d. magnidecentiam.

Quo modo distinguitur à magnanimitate.

Distinguitur à magnanimitate, secundum Caietanum art. 2. quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis; (hanc enim vult magnam & splendendam efficere: vnde dicit Aristoteles, ipsam esse omnium virtutum ornamentum; nimirum quia earum actiones illustriores facit) illa verò intendit magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis, vel vsibus humanis accommodatum, magnos sumptus requirens, vt in extruendis Templis, Monasterijs, Collegijs, in constituendis pijs foundationibus, in epulo publico exhibendo, quando ratio postulat. De huiusmodi intellige definitionem Ciceronis, quam refert D. Augustinus, q. 31. Tract. 83. qq. Magnificencia est rerum magnarum & excelsarum, cum ampla quadam & splendida propositione cogitatio atq; administratio. In iisdem tamen versari etiam potest magnanimitas, si spectentur vt sunt magna virtutum opera, vt expressè docet D. Thomas artic. 2. ad 2. cum ait: Ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendo, vel qualitercumq; agendo, vt in 4. Ethic. dicitur. Itaque magnificencia videtur vel pars quædam esse magnanimitatis, vel parum ab ea distingui, vt versatur in tali materia.

32  
Officium magnificencia.

Officium primarium huius virtutis est, res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere, quando ratio id postulat, vel suadet. Deinde huius rei causa affectum copiosæ pecuniæ ad id necessaria moderari, ne per illum vel opus non audeat suscipere quando oportet, vel susceptum relinquat, vel non decorè perficiat. tota enim difficultas in huiusmodi splendidis operibus susci-

piendis & perficiendis prouenit ex affectu pecuniæ non mediocri, sed grandis, & ingentis summa, quæ impendenda: hic enim affectus facit vt homini valde difficile sit tantam copiam providere, quantum opus postulat. Itaque requiritur aliqua virtus quæ hanc difficultatem vincat, neq; ad hoc sufficit liberalitas, quia hæc solum moderatur affectum circa mediocres & ordinarias expensas; tollitque difficultatē, quam homo in illis sentire solet, non ex affectu magnitudinis summa, sed simpliciter ex affectu pecuniæ: at longè alia sentitur dum magnæ expensæ faciendæ; vnde oportuit maiorem quamdam esse virtutem, quæ id præstet in magnis, quod liberalitas in mediocribus: hanc magnificenciam vocamus. Simile cernitur in honoribus: affectum enim in magnis honoribus regit magnanimitas: in mediocribus virtus *ἀναισθησία*, quam *σπουδαίαν* vocare possumus, hoc nomine in bonam partem accepto. vide Arist. lib. 4. Ethic. c. 4. & D. Thomam q. 129. art. 2.

Duplex virtus circa honores, & duplex circa pecunias.

Petes, Cur non simili modo ponitur duplex virtus circa voluptates corporis, altera circa maximas, altera circa mediocres?

33  
Cur non duplex circa voluptates, &c.

Respond. Quia illa virtus, quæ affectum moderatur in maximis voluptatibus, sufficiens est vt illum moderetur etiam in mediocribus, v. g. ciborum vel venereorum. cuius ratio est, quia idem motiuum seu obiectum formale in vtriusque spectatur: siue enim cibi sint multum delicati, siue parum, hoc tantum agitur vt eorum vsus externus sit temperatus, & interna affectio sub hac ratione in eorum vsum feratur. Itaque solum opus est vna virtus abstinentiæ, quæ sicut affectum & vsum temperat in magnis ciborum voluptatibus, ita & in paruis. Similiter in rebus venereis moderandis idem motiuum spectatur: siue magna in illis sit voluptas, siue parua; vnde eadem virtus castitatis vtrique moderandæ sufficit. Pari modo fortitudo, quæ maximos timores mortis temperat, etiam ad mediocres pertinet: & mansuetudo, quæ maximas iras domat, etiam mediocres regit. Itæ enim virtutes non spectant nisi vnum obiectum formale, siue passio magna sit, siue mediocri. Cum enim voluptates maximæ, & timores magni, & iræ magnæ omnibus sint communes; nec in his magnitudo & mediocritas diuersum faciât hominis statum, sufficit vna ratio honesti in quocumque horum genere, quæ principaliter moderetur affectum in magnis, & secundariò se extendat ad moderandum in mediocribus.

Circa voluptates gustus.

Circa voluptates tactus.

Circa timores.

Circa iras.

Secus verò res habet in affectu pecuniæ & honoris: magni enim honores & magnæ diuitiæ sunt paucorum; vnde diuersum efficiunt statum, & consequenter mutant rationem decori & honesti. Hinc fit vt qui magnis honoribus sunt digni, vel magnas expensas facturi sunt, aliam rationem honesti in moderando affectu, & in vsu talium honorum vel opum spectent & adhibeant, quam passim solent homines in mediocribus. Itaque alia est virtus circa magnos honores, alia circa mediocres. Confirmatur, quia magni honores pertinent ad eos tantum qui magna cogitant & moluntur; hi enim soli magnis honoribus sunt digni: atqui magna moliri, est proprium magnanimitatis: ergo moderatio affectus circa magnos honores, & rectus eorum vsus, pertinet ad magnanimitatem.

34  
Circum honores & opes.

Simili modo expensio magnarum opum secundum

eundem rectam rationem non solet fieri nisi ad magnifica opera externa, quæ magnos sumptus requirunt; talia autem pertinent ad magnificentiam: unde etiam ad eandem pertinet, affectum in huiusmodi sumptibus regere. Longè autem aliud spectant homines ut moderentur affectum in mediocribus tum honoribus, tum sumptibus, ut per se satis constat. Non tamen negaverim, quin ex eodem motivo, quo magnæ opes vel magni honores contemuntur, possint etiam contemni parvi. Verum quia plerumque aliud motivum respicitur, quando de magnis agitur, aliud quando de mediocribus: idè ad usum humanum & moralem diversa virtute opus fuit. Vide D. Th. quæst. 129. art. 2. ubi tamen paulò aliter hæc explicat, etsi in re non sit discrepantia.

35 *Per excessum, Cavavoria.*  
Opponuntur magnificentie duo vitia, alterum per excessum, quod Aristoteles vocat *Cavavoria*, quasi dicat, operariam & indecoram diligentiam in sumptu faciendo; ut cum quis de industria sumptus auget supra quam res poscat, aut decorum patitur; sicut faciebat ille, qui in filij epulo natali, omnes cibos cum patris argenteis, cum referrentur è mensa, proiciebat in Tiberim. Item qui in res parvas sumptus magnos facit, aut incòcinnè splendorem & magnificentiam ostentat; sicut ille, qui scenæ præpositus substernebat histrionibus purpuram; & mercator, qui conuiujs ad cœnam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, &c. hos etiam *respondens* vocat Aristoteles, id est, decori inexpertos & ignaros.

36 *Per defectum, inoposita.*  
Alterum per defectum, quod Aristoteles vocat *inoposita*, D. Thomas *paruiscentiam*, cum quis præ angustia animi, operi magno pares sumptus non exhibet: ut si Templo, vel Cœnobio, quod extruendum suscepit, veller facere parietes cratios, aut tectum stramineum, ut minus expendat. Hic (ut Aristoteles ait) *magna pecunia consumpta, in parua honestum omne perdet, & extinguet: quidquid facturus est, procrastinans, & cunctabundus efficiet, & qua ratione quam minimo sumptu id conficere possit, considerabit; & in his lamentabitur, & ingemiscet, omniaque se efficere maiora quam oporteat, arbitrabitur.*

*Est peccatum veniale.*  
Hoc vitium per se non est nisi peccatum veniale; nisi fortè ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificum, in quo perficiendo deficit, sit obstrictus.

DUBITATIO V.

Quid patientia, & longanimitas: & de illius incitamentis & gradibus.

Diuus Thomas quæst. 136.

Patientia dupliciter, iuxta D. Thomam, accipitur.

37 *Patientia quomodo sit pars integralis.*  
Primò, Pro virtute, quæ firmat animum aduersus timores, & dolores mortis, & malorum mortem inferentium; quæ enituit maximè in Martyribus: hæc est pars fortitudinis integralis, vel ipsa virtus fortitudinis inadæquate concepta. de qua suprâ c. 1. dub. 1. huius libri tertij.

*Quomodo potentia sit.*  
Secundò, Pro virtute, quæ in alijs malis animum confirmet, moderando mœrores qui ex illis

percipi solent; ne videlicet propter hos à præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat: ut in morte parentum, filiorum, amicorum; in exilio, in damnis, in morbis, in contumelijs, alijsque id genus malis: hæc enim magnos mœrores adferre solent, qui hominem sæpè ab arce rationis, & officio virtutis deturbant, & ad malum concitant. hoc modo est virtus annexa fortitudini, ut secundaria principali.

Proxima igitur huius virtutis materia est tristitia & afflictio animi ob mala prædicta incidere solita: hæc enim vel planè comprimit, vel moderatur, ei quamdam sui similitudinem veluti formam imprimens, & ita eam temperans ut recta ratio præscribit, & virum patientem decet; nimirum, ut rationem plenè sui compotem relinquat, nec virtutes alias in suis officijs impediatur. Remota, sunt actiones, verba, & gestus externi, quæ ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat; ita ut per tristitiam nihil indecori foris agat, sed mala seæquo animo ferre ostendat. Remotissima autem, sunt ipsa mala: hæc enim dicuntur materia patientiæ; non quòd patientia illis formam seu modum virtutis imprimat; (hanc enim solis affectibus internis & actionibus externis communicat) sed quia sunt obiectum & causa tristitiæ, quæ proxima patientiæ est materia. Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis.

Sed Notandum est, hanc moderationem posse fieri dupliciter.

Primò, Ex affectu solius honestatis, qui in illa relucet. moderari enim tristitiam, & mentem in quadam æquanimirate conseruare, statumque externum corporis huic conformem reddere, per se bonum est & honestum. & hoc modo patientia est virtus specialis, à ceteris distincta.

Secundò, Ex affectu alicuius peculiaris virtutis, quæ per tristitiam & afflictiones oppugnatur. & hoc modo, quod ad internum affectum actualem vel habituales attinet, non est virtus distincta à ceteris: nam quæuis virtus sicut amat honestum sui generis, ita ex vi huius amoris resistit, quæ illi directè vel indirectè repugnant, animumque aduersus ea firmat. hoc modo passim accipitur in Scripturis, & Patrum scriptis, & in sermone vulgari. quicumque enim affectu alicuius virtutis moderatè fert afflictiones, patiens dicitur.

Hoc modo definitur à D. Augustino q. illa 31. ex Cicerone, cum ait: *Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpassio. ubi illud honestatis, intellige generatim de omni honesto, quod propter se expetitur. Utilitatis, de eo quod ad aliud honestum vile est, ut si patiat pecuniæ consequendæ causa, qua soluas creditori: nam solius utilitatis causa, si vile ab honesto distinctum sit, pati, non est virtutis patientiæ. Voluntaria, non quòd semper sit in potestate non pati; sed quia in potestate est malle pati quàm ab officio rationis desistere, quàm improbè vel indecorè agere. Diuturna, intellige vel in re vel in animi præparatione. debet enim patiens esse animo comparatus ad patiendum longo tempore, si opus sit. Eòdem pertinet descriptio D. Augustini, quam habet lib. de Patientia (quem ex Indiculo constat esse ipsius, etsi Erasmus reclamet) cap. 2. *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per qua ad meliora perueniamus.**

*Materia.*

38 *Ex vario affectu possumus moderari tristitiam.*

*Definitio Ciceronis.*

39  
Necessitas  
huius vir-  
tutis.

Ex his perspicuum est, quàm patientia sit necessaria. tam enim est necessaria ad salutem, quàm est necessarium, hominem per huius vitæ mala, quæ vel nostra mortalitas inuehit, vel ab aliis irrogantur, à bono non abstrahi, aut ad malum non impelli. & quia huiusmodi mala maximè oppugnant Christianos vt rectam religionem deserant, aut iuxta eius præscriptum non viuant; idèd his maximè necessaria est, iuxta illud Domini, *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* quo significatur, salutem animæ non nisi per patientiam acquiri posse. *Possidere* phrasi Hebræa accipitur pro acquirere; sicut ibi, *Possedi hominem per Deum,* Genesis 4. & *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* Prouerb. 8. Parum aptè hunc locum explicat Martinus de perfectò anime dominio per patientiam. non tamen refert vtrum hæc tolerantia malorum affectu solius honestatis, quæ propriè ad hanc virtutem pertinet, an illius quæ oppugnatur, an virtutis que fiat: nihil enim horum peculiariter est præceptum. expedit tamen quamplurimas rationes sibi propositas habere, ob quas mala fortiter sint perferenda: efficacius enim multa bona, quàm vnum mouent.

40  
Longanimitas.

*Longanimitas*, quam Græci *μακροθυμία* vocant, potius est pars patientiæ, vel ipsa virtus patientiæ inadæquatè concepta, (vt ex D. Thoma articul. 5. colligitur) quàm virtus distincta: nam inter mala, quæ patientia æquanimiter tolerat, vnum est molestia, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione; huius autem mali seu incommodi tolerantia vocatur longanimitas. Itaque *longanimitas* nihil est aliud, quàm patientia, vt circa tale malum versatur, spectata. Sic Deus longanimis dicitur, quatenus dum nos ad penitentiam inuitat & expectat, moras nostras & tergiversationes tolerat, quæ illi quodammodò molestiam adferunt.

41  
Vitia patientiæ  
aduersa.  
Insensibilitas.

Vitia patientiæ aduersa, sunt *Insensibilitas* & *Impatientia*. illud per defectum non enim est laudabile, nec naturæ humanæ consentaneum, nullis malis, neque tuis neque proximorum tangi; id enim signum est vel brutæ stoliditatis, vel inhumanae duritiei; nec congruit amicitia & vitæ politica. Hoc verò per excessum: vt cum quis nimium dolet, aut etiam ex dolore à recto discedit. Quicumque enim ob dolorem vel mœrorem, vt illum vitet, pellat, aut soletur, animoque suo sic affecto indulgeat, aliquid mali facit, *impatiens* est; iustum dolendi modum, quem patientia præscribit, exuperans. *Impatiens* etiam dici solet, qui ira vel indignatione excedit, præsertim si hunc motum animi sui foris ostendat: nam ira etiam tristitiam & afflictionem includit. è contrario, qui non facile irascitur, *patiens*. quamuis hic potius mansuetus sit dicendus, alter iracundus, vt infra lib. 4. cap. 4. ostendetur.

Quale peccatum sit.

Est autem hoc vitium per se peccatum veniale tantum; quia solum est excessus in dolore, vel iracundiæ motu, signo externo expressus. potest tamen esse mortiferum vel ratione scandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. *Insensibilitas* seu durities rarè est peccatum mortale; certè per se non potest esse nisi veniale.

42  
Patientia  
admiranda  
Ierem.

Quia verò patientiæ virtus maximè est homini Christiano necessaria, notanda duxi ex Scripturis & Patribus quadam præcipua eius incitamenta,

quæ ad eius cultum & exercitationem vehementer possint commouere. Primum sit patientia ipsius Dei: in qua duo potissimum consideranda. Alterum, quòd tanta beneficia assidue in peccatores conferat. Alterum, quòd eorum iniurias tam benignè toleret. Vtrumque eleganter expressit Tertullianus libro de patientia, cum ait: *Nobis exercende patientiæ auctoritatem, &c. diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum: iam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos aequaliter spargit: qui temporum officia, elementorum seruitia, totius gentis tributa dignis simul & indignis patitur similiter occurrere: sustinens ingrassissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen & familiam ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insistentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tam diu nesciunt.* Eundem locum pulcherrimè prosequitur Cyprianus libro de Bono patientiæ, in principio: *Si Dominus, inquit, nobis Pater & Deus est, scetetur patientiam domini pariter & patris: quia & seruis oportet esse obsequentes; & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quòd in contumeliam suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa, & terrena signenta, & sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos & malos aequaliter facit diem nasci, & lumen solis oboriri: & cum imbribus terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quò minus iustis simul & iniustis indiscretas pluias largiatur? Videmus inseparabili aequalitate patientia nocentibus & innoxius, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus miscere vinearum, exuberare pomis arborum, nemora frondescere, prata florere; & cum crebris, imò continuis exacerberetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstiturum semel retributionis diem patienter expectat, &c.*

Dices, Hanc patientiam esse alterius rationis: Deum enim non esse capacem mœoris aut molestiæ, quam patientia sustineat: ac proinde non debere nobis in exemplum proponi.

Respondeo, In patientia duo posse considerari. Primum, Compressionem tristitiæ ex iniuria, vel malo, quòd nobis accidit, obortæ. Secundò, Compressionem vindictæ, cum affectu quodam benigno coniunctam. Primum non inuenitur in patientia Dei; quia in illum tristitia non cadit, quam patientia soletur. vnde neque hac ratione ipsius patientia proponitur nobis imitanda. Alterum verò maximè in patientia Dei reluctet; quò enim ipsius Maiestas est maior, & creatura indignior, magisque ipsi obnoxia; eò iniuria in ipsum est grauior, ac proinde magis ipsum prouocat ad indignationem & vindictam: vt nihil sit admirabilius quàm Deum cohibere manus, iramque in peccatores non effundere, & beneficia sua protelare. & hac ratione proponitur nobis patientia Dei imitanda; nimirum vt ad exemplum ipsius cohibeamus vindictam, contineamus beneficia, & benignum retineamus affectum in eos qui iniuria nos affecerint: vt *sirius*, inquit, *filij Patris vestri, qui in calis est, vt solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos; Matth. 5.*

Secun-

Patientia  
Christi.

Secundum, Patientia Christi, in quo Deus, ut inquit Tertullianus, spiritum suum cum tota patientia collocavit, cuius tota vita eximium fuit patientiæ speculum; passio verò supremum exemplar. Saginari enim, ut idem Tertullianus ait, voluptate patientiæ discessurus volebat. Prosequitur hoc pulcherrimè Cyprianus loco citato. Hic considerandum, quis patitur, & quantum, quid, à quibus, pro quibus, cur, ubi, & quando.

Patientia  
Sancto-  
rum.

Tertium, Patientia Sanctorum veteris Testamenti, Abelis, Abraham, Isaac, Jacob, Ioseph, Moysis, David, Tobiae, & in primis S. Iob, qui, ut Tertullianus loquitur, omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit, quem non abacti greges, non ille in pecore divitia, non filij uno ruine impetu adempti, non ipsius deniq; corporis in vulnere cruciatus a patientia fide Domino dedita exclusit, & infra: Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit, quale vexillum de inimico glorie sue extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias? &c.

Quod si illi, rudi illo læculo, ante Christi doctrinam & exemplam, tantam in adversis patientiam præstiterit; quantum nos perpetrare oportet (ut Tertullianus verbo utar) in luce Evangelij, in schola Christi, in hac copia gratiæ, inter infinita exempla Sanctorum novi Testamenti?

Patientia  
fructus.

Quartum, Maximus patientiæ fructus, cum in hac vita, tum in futura. In hac enim vita Primo, Parit satisfactionem pro peccatis: exigua enim tolerantia maximas futuri sæculi penas redimimus. facile toleratur iactura decem aurorum, qua redimitur confectio decem millium. vide Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 9. & Gratianum de Pœnitentia distinct. 3. Secundo, Inuit omnes virtutes, easque reddit stabiles & perficit: qui enim virtutis bonum in adversis retinet, ostendit affectum suum illi perfectè & firmiter inhaerere, & quovis alio casu inhaerurum. declarat hoc Tertullianus: Patientia, inquit, fidem manit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expedit, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, &c.

Similia habet Cyprianus libro de bono Patientiæ. hinc Iacobi 1. dicitur: Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

In futura vita maximam adducet gloriam; nam ut Apostolus 2. ad Corinth. 4. ait, id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. ubi in verbis illis, momentaneum & æternum, leve & pondus, tribulationis & gloriæ, in presenti & sublimitate, emphasin & antithesin considerat.

Eodem pertinet illud Domini, Matth. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis.

Omitto alia Scripturæ testimonia. pulchrè in hanc sententiam dixit Tertullianus: Ad eò satis idoneus patientiæ sequester Deus; si iniuriam deposueris pœnis cum, ulior est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si morrem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem!

Quintum, Tormenta inferorum, quibus sæpe digni fuimus, & tamen evasimus: qui enim hæc attentè considerat, omnia huius vitæ incommoda nihili aestimabit; sed veluti in deliciis ponet. Sicut qui considerat maximam calamitatem, qua pluri sunt oppressi, se cum paucis evasisse, modicam iacturam nihili facit; sed se cum illa felicem reputat, sibi que gratulatur, quod licuerit tam parvo incommodo elabi. Vide Albertum de virtutibus cap. 4.

Tormenta  
inferni.

Sextum, Impatientiæ incommoda. Nam Primo, Amittit meritum patientiæ. Secundo, Afflictio non minuitur per impatientiam, sed exasperatur: maius enim ipsa tormentum, & diutius animum excrucians quam ipsum originale malum, unde impatientia excitatur, è contrario per patientiam dolor valdè mitescit. Tertio, Impellit ad omne genus peccati, ad blasphemiam, contumeliam, homicidium, adulterium, furtum, &c. Unde Tertullianus: Ut compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ ascribendum: malum impatientiæ est bonum. hic tamen nomen istud paulò laxius vsurpatur. Idem prosequitur Cyprianus. Hac de patientiæ incitamentis, nam minutiora prætermitto. vide infra lib. 4. c. 4. dub. 3. de mansuetudine.

Impatientiæ  
incommoda.

Quod ad gradus patientiæ attinet, variis modis assignari possunt. Primo, Ex parte malorum quæ quis patitur: & sic Primus gradus est, Cum patientiam retinemus in damnis fortunarum. Secundus, In detrimentis famæ. Tertius, In detrimentis corporis & vitæ; quod pertinet patientia Iob, & sanctorum Martyrum, & in primis Christi Domini.

44  
Gradus pa-  
tientia.

Secundo, Ex parte modi perferendi: sic Primus gradus est, Tolerare sine murmuratione. Secundus, Sine lamentatione & querimoniis apud alios. Tertius, Cum gaudio; sicut Apostoli, qui ibant gaudentes a conspectu concilij, quia digni habiti sunt, pro nomine Iesv contumeliam pati. Ad hunc hortatur Apostolus Iacobus c. 1. suæ Epistolæ; Omne gaudium existimate, fratres, &c.

Tertio, Ex parte causæ ipsius mali, quod patimur. Hoc modo Primus gradus est, Si patienter feramus mala, quæ pro culpis nostris siue à Deo siue ab hominibus irrogantur. Secundus, Si absque nostra culpa ab inimicis, vel aliis qui nobis obstricti non sunt, illa patiamur. Tertius, Si inferantur ab iis, qui multis beneficiis à nobis affecti fuerunt: illa enim ingratitude maximè auget iniuriæ atrocitatem, & prouocat iram. unde difficillimum est erga tales retinere patientiam. Quartus est, Huiusmodi iniurias non solum æquo, sed etiam libenti animo perferre, & etiam desiderare; ut sic aliquo modo Dominum nostrum imitemur, qui omnia iniuriarum & afflictionum genera ab iis quos summis beneficiis affecterat, patientissimè sustinuit, & pro iisdem etiam Patrem rogavit. vide Cyprianum & Tertullianum locis citatis.



## DUBITATIO VI.

De perseverantia, & constantia,  
vitiisque oppositis.

Diuus Thomas quest. 137. 138.

<sup>45</sup> *Perseuerantia dupliciter accipitur. Primò, Pro continuatione iustitiæ vsque ad mortem; & sic non est peculiaris virtus, sed conditio quædam, seu circumstantia virtutis, in eo consistens, quòd iustitia adhæreat homini vsque ad mortem. Hanc perseverantiam nemo habet completè & in actu secundo, nisi in termino vitæ: estque magnum illud donum proprium electorum, de quo D. Augustinus lib. de bono perseverantiæ.*

<sup>2.</sup> *Propositi-um persequendi in opere.* Secundò, Pro proposito perseverandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit. hoc autem dupliciter fieri potest. Primò, Ex affectu peculiaris honestatis, quæ in illo opere spectari potest; vt cum quis vult perseverare in ieiunio Quadragesimæ vsque ad finem, vel vt carnem domet, vel vt pro peccatis satisfaciat, vel vt obediat Ecclesiæ, &c. aut in aliquo alio pio exercitio, bonaque consuetudine, ob peculiare bonum illius, hac ratione etiam non est vna aliqua virtus, sed omnis; nam omnis virtus ex affectu proprii boni potest velle operis sui continuationem & durationem vsque ad finem: omnis autem volitio, quæ ex affectu peculiaris boni alicuius virtutis oritur, ad illam virtutem pertinet: electio enim & intentio eiusdem sunt virtutis.

<sup>46</sup> *Quo modo sit virtus peculiaris.* Secundò, Præcisè ex affectu ipsius perseverantiæ & continuationis. nam vsque ad finem constitutum in bono opere perseverare & continuare, per se honestum est, peculiaremque laudem mereatur. hoc modo perseverantia est virtus peculiaris, de qua hoc loco D. Thomas. sicut enim magnanimitas est peculiaris virtus, quia in opere virtutis peculiarem rationem honesti intendit, & efficit, (nimirum vt magnum sit, & animo generoso congruens) & impedimentum ex honoris immodico affectu proveniens tollit: ita perseverantia, cum in opere virtutis intendat, & efficiat peculiarem rationem honesti, nimirum diuturnitatem & continuationem vsque in finem; vincatque tædium & molestiam, quæ ex diuturnitate obrepere solet, est virtus peculiaris.

<sup>47</sup> *Materia huius virtutis.* Huius igitur virtutis principalis materia est opus bonum cuiusvis virtutis. Forma, quam huic inferre intendit, est illius continuatio vsque in finem, quem ratio præscripsit, siue ille sit finis vitæ, siue certi negotij, vel temporis præfiniti. Continuationem voco, non qua opus numquam interpellatur (hæc enim homini ad longum tempus non est possibilis) sed qua suis temporibus repetatur; & non omittatur, dum statè vices recurrunt.

Secundaria autem materia est molestia animi, quæ ex illa diuturnitate rei laboriosæ & difficilis capitur; hanc enim moderatè fert & vincit hæc virtus: sicut patientia vincit molestias aliorum

malorum. Dixi materiam secundariam, quia præcipuum officium huius virtutis cervitur circa opera bona; vnde & nomen ab his contraxit, non à molestiis quas sustinet. secus in patientia, cuius cum præcipuum munus sit, mala aquanimiter ferre, ab illorum perpeffione etiam nomen sortitur. Quæ autem hic Martinus apud Caietanum contra diuum Thomam disputat, parvi sunt momenti, sicut & alia pleraque eiusdem Auctoris, cum D. Thomam oppugnat: est enim in illis vt plurimum vel mera logomachia, vel aliena intelligentia.

*Constantia* parum à perseverantia differre videtur, in eaque includi. quid enim est aliud perseverare, quam vsque in finem constantem esse, sibi que in bono constare: nisi forte quis ita velit distinguere, quòd constantia vincat difficultatem continuandi boni, quæ provenit ex naturali quadam animi mutabilitate, & impedimentis extrinsecis incidentibus: vt sunt blanditiæ, promissiones, displicendi timor, placendi cupiditas, &c. Perseverantia verò difficultatem, quæ ex diuturnitate rei molestæ & laboriosæ oritur. Sed hæc distinctio neque ab Auctoribus, neque vulgò servari solet; estque in re morali satis minuta: nam proprie ille etiam constans dicitur, qui in re ardua vsque ad finem perstat: & perseverans, qui ab externis impedimentis non vincitur. Distinguuntur tamen ratione & conceptibus: ratio enim constantia in eo sita est, quòd homo sibi in bono proposito constet, sibi que similis permaneat contra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit. Perseverantia verò in eo, quod in cœptis pergat, eaque vsque ad finem continuet.

His virtutibus duo extrema aduerfantur, *per- tinacia & mollities animi, vel inconstantia*: hæc per defectum, illa per excessum. Qui enim perseverat & firmus manet in proposito siue sentiendi, siue agendi vbi non oportet, vel plus quam oportet, *perimax* dicitur: Aristoteli 7. Ethic. capite 9. *τοῦτο ὑπέροχον*, quòd fortius æquo suæ sententiæ inhæreat; & *ἰσοῦναιον*, quia suæ sententiæ amantior: estque hoc veniale vel mortale, pro materiæ gravitate; vt cum quis non vult mutare fidem aut religionem falsam quam semel suscepit, ne videatur inconstans; cum Princeps non vult reuocare legem, quam vltus deprehendit perniciosam, &c.

Qui verò facilè mutat propositum, vocatur *Inconstans*. si id faciat tædio diuturnitatis, vel simili incommodi, *mollis*. Est peccatum mortiferum, si tenebaris ex voto, vel præcepto, & materia sit gravis; vt cum quis deserit Institutum religiosum, &c. Si verò sit levis, veniale. si nullo modo tenebaris, non erit peccatum, mutare propositum, & relinquere primum exercitium: nisi forte id fiat ex inordinata aliqua passione; tunc enim inordinatè à bono proposito desistis; vt rectè Caietanus v. Inconstantia: de quo vide Gregorium Homilia 3. in Ezechielem, sub finem.

Hactenus de fortitudine.